
DECRETA EDITA, ET PROMULGATA IN SYNODO DIOECESANA LAUDENSI...

Lodi






BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
13 F
18





DECRETA
EDITA, ET PROMVLGATA
In Synodo Diœcesana Laudensi
Tertia,
Quam habuit primò
Perillustris, & Reuerendiss.
F. MICHAEL ANGELVS SEGHITIVS
Dei, & Apostolicæ Sedis gratia
Eps Lauden. & Comes.
Anno M. DC. XIX. Mense Maio.
Adiectis ad calcem Edictis, Catalogo SS. & Eporum Laud.
Et descriptione Ecclesiastica Ciuitatis, & Diœcesis.






LAVDAE, Typis Pauli Bertoetti. *Permissu Superiorum.*



F. MICHAEL ANGELVS
SEGHITIVS
Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Lauden. & Comes

VNIVERSO CLERO LAVDENSI
Salutem in Domino.



V AE nos suscepti Pastoralis muneris cura commonuit, atq; commouit, vt Sanctissimis Triden. Concilij, & Synodorum Prouincialium decretis, & constitutionibus obtemperantes, Prædecessoresq; nostros summa integritate, & prudentia viros imitantes, cum primùm licuit, primam nostram Diœcesanam Visitationem obiremus, singulasq; Ecclesias præsentes inuiseremus, atq; in ijs, quæcumq; opus esse videbantur, pro locorum ratione prouideremus; eadem fecit, vt perlustrata Diœcesi, absolutaq; visitatione, primo quoq; tempore Synodum celebrandam curaremus, in qua cùm ab omnibus, & singulis, qui sacris addicti sunt, nostræq; fidei commissi, vnum in locum conuocatis, officij, ac vitæ rationem exposceremus, atq; recognosceremus, aliaq; item inquireremus, quæ nostro ab officio expectari minimè dubium erat; tùm præcipuè nonnullas sanctiones, quæ generatim ad rectam omnium Sacramentorum administrationem, ad ritus, & cæremonias, vel conseruandas, vel restituendas, ad omnem deniq; morum, christianæ vitæ, ecclesiasticæ disciplinæ, diuinique cultus rationem confirmandam, & quantum in nobis est, augendam, non nostra solum auctoritate, & iudicio, sed etiam aliquot grauium, & prudentium virorum, quos sæpe statis

 habitis

habitis congregationibus, in consilium adhibuimus, consen-
su, & approbatione pertinere credebantur, constituendas
proponeremus,& obseruandas promulgaremus. Vtrumque,
diuina adiuuante benignitate, perfecimus: certè quidem co-
nati sumus: nam, vt cætera fortasse defuerint, nostrum qui-
dem studium, curam,& beneuolentiam nullo loco deesse passi
fuimus. Vnum profectò hic est, quod omnibus persuasum
esse etiam atq; etiam vehementer cupimus, nobis, tùm in per-
lustranda, recognoscendaq; Diœcesi, tùm in habenda Syno-
do, decretisq; sanciendis, tùm denique etiam in vniuersa hac
Laudensi ecclesia, quam apud nos & parentis pietatem, & fi-
liæ charitatem obtinere libenter profitemur, moderanda, ac
tuenda, nihil, præter Dei gloriam, Cleriq; & populi in no-
stram curam traditi incolumitatem, & salutem, propositum
esse, aut vnquam fuisse. Nam quemadmodum nos in Visita-
tione gesserimus, quibus officijs, qua pietate,& charitate om-
nes complexi fuerimus, omniaq; negotia confecerimus, no-
runt ij probi, & ornati viri, quos & comites peregrinationis,
& socios laborum habuimus; nosse etiam potuerunt singuli,
ad quos diuertimus, & quibuscum de rebus ad nostrum mu-
nus spectantibus agendum fuit: nos certè in eam curam, &
sollicitudinem toto pectore incubuimus, vt commune offi-
cium priuatis commodis ante poneremus, eorumq; vtilitati
quibus præsumus, non nostris rationibus consuleremus. Hæc
vero decreta, quæ in hac nostra Synodo Laudensi communi
omnium consensu approbata, nunc, vt ab omnibus, ad quos
pertinent, commodius legi, atq; executioni mandari possint,
in lucem edimus, eiusmodi esse res ipsa indicat, vt nemini,
qui paulò studiosius attenderit, dubitare iam liceat, quin in ijs
constituendis, & gubernatoris naui, & medici ægroto prospi-
cientis officio functi simus. Primum enim omnes ecclesiasti-
carum censurarum scopulos, si quos forte Predecessores no-
stri temporibus seruientes intulerant, declinauimus, atq; eui-
tauimus: sic enim arbitrati sumus fore, vt huius nostræ Lau-
densis Ecclesiæ, quasi cymba inter huius vitæ breuia, vada,
ac syrtes, diuini numinis aspirante aura, nostra etiam adni-
tente facilitate, prosperiore cursu in salutis portum inueharetur


deinde

deinde pro vi, & modo morborum, ægrorumq; natura, quam satis cognitam, & perspectam, ipsa iam experientia docente, habemus, medicinam accommodantes, errata nonnulla, quæ vel temporum iniuria, vel hominum improbitate, vel Satanæ insidijs, & fraudibus, aliquot ab hinc annis irrepserunt, lænibus admonitionis, & correctionis remedijs, castiganda duximus; nullas enim ferè certas pœnas decretis nostris, atque edictis apposuimus, vni tantum aut alteri, quod rei grauitas ita postulabat, acriorem curationem adhibuimus, eo tamen animo, & mente, vt multo gratius nobis futurum sit, si ita vixerint omnes, vt nullus vllo vnquam tempore pœnis relinquatur locus. Porrò præter ea, quæ sunt filijs necessaria, cum debeamus eisdem & ornamenta; adiecimus ad calcem Synodi quamplura, & præsertim beatorum ciuium nostrorum, & Episcoporum Laudensium catalogum, summo studio, diligentia, labore R. D. Defendentij à Lauda Canonici nostræ Cathedralis editum; vt, quorum intuemini exitum conuersationis, imitemini fidem. Quæ igitur à Pastore vestri amantissimo, propensa ad benemerendum voluntate, offeruntur, ea vos beneuolè, promptoq; ad obediendum animo, accipite, atq; obseruate, vt in veritate ambulantes, ad Dei gloriam, & ad vestram, aliorumq; salutem vberrimum afferatis fructum. quod concedat bonorum omnium auctor, & largitor Deus, cui laus, & honos sempiternis ætatum sæculis. Valete.

I N.

INDEX

Titulorum qui in hac Synodo continentur, & eorum quæ ad Synodi calcem adiecta sunt.



DECRETA
SYNODI DIOECESANAE LAVDEN.
TERTIAE.

In Nomine
SANCTAE ET INDIVIDVAE
TRINITATIS
Patris & Filij & Spiritus Sancti.
Amen.



OS F. Michael Angelus Seghitius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Lauden. & Comes, ad Laudem Omnipotentis Dei, ac Beatæ Mariæ semper Virginis, & SS. Bassiani & Alberti Laudensis Ecclesiæ & Ciuita-

Ciuitatis Patronorum, primam hanc no-
ſtram Diœceſanam Synodum in Spiritu
Sancto congregatam benedicimus, atq; pro
cleri noſtri eccleſiaſtica diſciplina, morumq;
reformatione, diuini cultus augmento, &
eccleſiarum noſtrarum debitis obſequijs, hęc
quæ ſequuntur, ſtatuimus, decernimus, &
publicamus.

DE

DE FIDE CATHOLICA, & Fidei professione emittenda.

Cap. I.

SANCTA, & religiosa Laudensis Synodus ad Dei gloriam, & animarum salutem hac die in Spiritu Sancto legitime Congregata, tanquam vir vnus de fundamento in primis tantæ structuræ, quod est Fides Catholica, prudenter cogitans, Apostolum secuta, qui dicit, Tanquam sapiens architectus fundamentũ posui, vti eam ipsã fidẽ profitetur, quam credit, docet, prædicat, & profitetur Sancta, Catholica, & Apostolica, Romana Ecclesia, vnica, & vera Domini nostri Iesu Christi seruatoris sponsa, extra quam non est salus; ita maledicit, damnat, reprobat hæreses omnes, & anathema dicit omnibus omnium temporum hæreticis, atq; hæresibus: nominatim vero anathema huius ætatis hæresiarchis, Luthero, Oecolampadio, Zuinglio, Rothmano, Caluino, eorumq; sequacibus, & omnibus alijs hæreticis, quascumq; in sectas disssecti sint, vel quouis nomine censeantur. Vniuersis etiam eorum hæresibus anathema.

Iuxta dispositionem Sacri Concilij Tridentini, ac Conciliorum Prouincialiũ, & formulam à Pio IIII. præscriptam, omnes qui beneficia curata, canonicatus, dignitates, aliaue beneficia obtinuerunt, neque vsq; modo fidei professionem emiserunt, eam emittere teneantur, quorum nomina à Cancellario nostro in certum librum referantur. Conc. 1. Prou.

Sciant etiam omnes, qui artes liberales, etiam grammaticæ rudiméta publicè, vel priuatim, vel gratis docent, adhuc Concionatores, & Confessarij, etiam Regulares, Aduocati, Procuratores, Consultores, ac Notarij Sãcti Officij, Medici, & Chyrurgi, & tandem Impressores, & Librarij ad eandem fidei professionem emittendam teneri. Ibid. Conc. 5. Prou. Conc. 6. Prou.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.
Cap. II.

QVæ ad rudimenta fidei, atq; Doctrinæ Christianæ eruditionem spectant, ita fuerunt à Reuerendissimo Præcessore nostro in secunda Synodo Diœcesana exarata, & in Libello eius iussu in breuem formam, ac Typis mandato notata, vt eis addi quicquam nullatenus possit; sed sat erit prouidere, vt, quæ in præfatis Synodo, & Libello continentur, executioni mandentur, quod faciendum districtè præcipimus.

Ordinamus insuper, vt non solum in omnibus Ecclesijs Curatis, maximè forensibus per Parochos, & alios Sacerdotes, & Clericos dictarum Ecclesiarum seruitio adscriptos, sine intermissione omnibus diebus festis sanctũ Doctrinæ Christianæ exercitium præstetur, verum etiam in oppidis satis distantibus ab Ecclesia Parochiali, si ibi adsint Oratoria, per Capellanos in eorũ Oratorijs idem exerceatur: qui vero in tanto charitatis officio negligentes reperti fuerint, sciant à nobis se grauiter puniendos.

Conc. 4. Prou.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.
Cap. III.

CANON.

BAptismus ad omnium salutem, etiam infantium est necessarius, cum culpam omnem, tùm originalem, tùm actualem, immo omnem pœnam pro culpa debitam, remittat, & filios Dei adoptiuos efficiat, aperiatq; regna cęlorum. Neq; iterari potest.

DE

DECRETA DE BAPTISMO.

RItuale Romanum à Sãctiss. D.N. Paulo Papa V. nuper editum in Sacramentis administrandis, & necessaria docet, & præterea multa valde vtilia, quæ ideo à Nostro Clero seruari volumus, & iubemus; nimirum iuxta secundam, & pleniorem eiusdem editionem, sub pœnis arbitratu nostro infligendis: immò verò, & in Sacramentalibus quoque totum Rituale recipimus, & in vsum induci volumus.

Quoniam autem Baptismi Sacramentum ianua est Sacramentorum, studeant Parochi baptizaturi se ipsos primum, ad tanti Sacramenti administrationem deuotè, ac sanctè se accingere; cumq; sit Sacramentum ad salutem singulis Christi fidelibus necessarium, inuigilent ne in illius administratione segnes sint, & ne quis eorum culpa, hoc Sacramento non initiatus decedat. Canones enim Presbyterum deponendum esse sanxerunt, cuius causa aliquis suæ curæ commissus sine baptismo moriatur.

Parochi frequenter populum sibi commissum publicè doceant formam baptizandi, maximè autem id priuatim præstent cum obstetricibus, illas aliquando accuratè, ac diligenter interrogando, quomodo in huiusmodi administratione se gerant in casu necessitatis. *Pro. 4*

Hinc innouandum esse duximus decretum Synodi Reuerendissimi Prædecessoris nostri sub eodem titulo, ne scilicet mulier aliqua ad officium obstetricis admittatur, nisi prius, vel in Ciuitate à deputato à Nobis, vel in Diœcesi à Vicario Foraneo examinata an ritè, ac rectè formam baptizandi nouerit, & approbata fuerit. Hanc autem facultatem, & approbationem termino vnius mensis à promulgatione huius nostræ Synodi, sub pœna de qua in dicto Decreto, obtinere teneatur. *Pro. 5.*

Et ad tollendas omnes dubitationes statuimus, vt quando dictis obstetricibus ex necessitate baptizare contigerit *Ibid.*

curent, si fieri poterit, vt duæ mulieres, vna cum matre præsentes adsint, verbaq; ab eis in baptizando prolata audiant, vt Parocho eas postea interroganti plenè satisfacere possint.

Ibid. Ijdem Parochi parentes puerorum baptizandorum moneant, vt simplici amictu indutos, & sine ornamentis vanis illos ad Ecclesiam deferri curent, cum non deceat in ipso Christianæ vitæ ingressu ijs pompis, & rebus vti, quibus potissimum solemni sponsione renuntiatur.

Pro.4. Parochi, & reliqui animarum curatores nullos in compatres admittant, quos rudes esse cognouerint, ita vt fidei Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Præcepta Decalogi ignorent. Est .n. ab omni ratione alienum, vt se deo fideiussores præstent, qui ea ipsa nesciant, quæ alios docere sanctè pollicentur.

Moneantur parentes, & alij ad quos spectabit; vt quamprimum curent infantes ad Ecclesiam deferri, & baptizari,

Pro. 1. & vltra tempus in Concil. Prouinc. præscriptum, vltra scilicet diem octauum non differant, cum sit admodum culpabile salutem puerorum periculis exponere.

Non admittãtur in baptismatis regeneratione patrini, qui

Pro. 5 minores sint quattuordecim annis, ad effectum, vt non solum ore, uerum etiam animo, & seriò ad interrogationes, quæ in baptismo fiunt, respondeant; sciantq; quam obligationem sortiantur.

Curabunt Parochi ut compatres arma deponant, & commatres capite velato, ac sine vanis ornamentis assistant.

Nec Parochus, nec quiuis alius Sacerdos vllo modo baptizare debet, cum alia aqua, quam sanctificata, extra tamen necessitatem, aliàs grauiter peccaret. Aliter dicitur de non Sacerdote baptizante in aqua sanctificata, qui licet tali casu cõferret baptismum, peccaret tamen, nisi necessitate ductus, ex inopia alterius aquę id faceret.

Pro. 3 Infans expositus licet collo appensum habeat testimonium quòd baptizatus fuerit; si tamen alia ratione illum baptizatum esse non constiterit, baptizetur sub conditione, ut in Rituali Romano. Et si collo infantis reperiatur

schedula

ſchedula aliqua appenſa, in qua ſcriptum ſit eius nomen, idem ipſi nomen imponatur, & ſchedula aſſeruetur.

Animaduertat Sacerdos baptizans, ne vtatur alio chriſmate, quam eo, quod illo anno conſecratum fuit, niſi ex aliqua neceſſitate tunc urgente. *Pro. 4*

Cum legitima natiuitas, & ætas aliquando aliunde probari minimè poſſit, niſi per Parochi librum, cui in hoc creditur, animaduertere debent Parochi, ut in deſcribendis diebus, horis, menſe, & anno ea non per abacum deſcribant, ſed numeris per uerba expreſſis.

Non admittantur ad ſuſcipiendum infantes perſonæ infames, & vitæ deprauatę, excommunicati, nō confirmati: & qui eo anno non fuerint confeſsi, Sanctiſsimo Sacramento Euchariſtiæ refecti, cum non deceat eos pro alijs ſanctimoniam promittere, qui peccatis ſunt cōtaminati. *Pro. 1.*

Claues fontis baptiſmalis ita cuſtodiat Parochus, & adeo cautè, vt neq; ſuo clerico vllo modo committat. *Prou. 4*

Parochi de cætero in baptizandis pueris non permittant, vt eis nomina aliqua turpia, ridiculaue, aut quæ gentilium impiorum, & impurorum hominum memoriam referant, imponantur. *Ibid.*

Crebri interitus infantum, qui ob eorum imbecillam ætatem accidunt, cogunt nos, vt huic damno occurramus, remediaque opportuna afferamus, quare omnibus matribus, nutricibus, ac alijs quibuſcumque mandamus, & præcipimus, ne de cætero propter periculum oppreſsionis, & ſuffocationis, infantes vllo modo ſub quouis prætextu ſecum in eodem lecto abſque ſolita cautione cubantes teneant, maximè noctis tempore, niſi ſaltem annum vnum compleuerint, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. *Prou. 4 & 6.*



DE SACRAMENTO Confirmationis. Cap. IIII.

CANON.

IN Confirmationis Sacramento gratia Spiritus Sancti datur ad robur, qua Christianus Christi nomen, eiusq; fidem audacter confiteatur, eiusq: ordinarius minister est Episcopus, estq; irreiterabile Sacramentum.

DECRETA.

PArochi diem, qua in eorum Ecclesijs Confirmationis Sacramentum ministrandum erit, eius doctrinam trادentes, prænuntient, vt Confirmandi quam maximò fieri potest religionis studio ad illud suscipiendum se accingant. Quæ vero sint à Confirmandis obseruanda peculiari edicto nostro patefient.

Cum in hoc Sacramento æquè, ac in baptismo cognatio spiritualis contrahatur, quæ matrimonium inter confirmatum, eiusq; patrem, & matrem, ac patrinum non modo impedit, verum etiam dirimit, idcirco Parochi prædictorum nomina in certum librum referant, vt de memorato impedimento perpetuò constare possit, quibus si ad aliam Ecclesiam transire contigerit, successori antequam à priori emigrent, sub graui pœna arbitrio nostro irroganda, tradant.

Pro. 5. Quoniam Sacramenta omnia, nisi ponatur obex, gratiam conferunt, ideo adulti nisi confessi sint, & confessarij attestatione Parocho prius exhibita, & ieiuni, cum mane ministratur, ad hoc Sacramentum Confirmationis suscipiendum non accedant.

Pro. 1. & 5. Minores septennio ad hoc Sacramentum suscipiendum, vt hacte-

hactenus in hac nostra Ecclesia obseruatum fuit, nisi ob aliquam iustam causam secus cēsuerimus, non se sistant. Pro. 2 & 4.
Curent Parochi quantum fieri potest, ne excommunicati, interdicti, non confessi in Paschate Resurrectionis prox. aut aliquo graui, & notorio crimine notati, vti Sacramentorum participatione indigni, in patrinos deligantur, idemq; decernimus de ignorantibus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & fidei Symbolum, cum horum nulli, si opus fuerit, suscepti muneris partes explere valeant.
Non liceat alicui non confirmando, aut impuberi, Clerico sacro ordini initiato, sine nostra licentia, aut consanguineis primi gradus, cōfirmandi patrini munere fungi.

DE AVGVSTISSIMO *Eucharistia Sacramento. Cap. V.*

CANON.

EVcharistia non solum est Sacramentum; sed & nouæ legis sacrificium, quod in memoriam passionis Christi, tùm pro viuis, tùm pro defunctis offertur, totusq; Christus sub vtraq; specie realiter continetur, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in sanguinem Christi, potestate diuina: satisfaciuntq; laici diuino præcepto si tantum sub specie panis illud sumant, cum veraciter totum Christum sumant.

DECRETA.

IN Pyxide renouentur particulæ octauo quoque die.
Tempore communionis adhibeantur scabella oblonga, & mappæ super eis extendantur. Pro. 4.
Tabernaculi, vbi Sacratissimum Domini Corpus asseruatur, &

& armarioli, vbi sacra olea statis vasculis inclusa custodiuntur, claues rector Ecclesiæ, animarumue curator diligenter, cautèq; apud se custodiat, neq; secularibus, domesticisue, nec etiam clerico ei inseruienti vllo modo committat, eo tamen excepto, quem in officij Parochialis cura coadiutorem habet.

Pro.3. Qui dignitates, vel canonicatus in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia obtinent, necnon Sacerdotes, & Clerici omnes, feria 5, in Cœna Domini, in solemni Missa quę in Cathedrali, vel Collegiata celebratur, Eucharistiam sumant, illis exceptis, qui in alia Ecclesia eodem die missæ sacrum sunt facturi, sub pœna nobis arbitraria.

Quando vero deferendum est ad ægrotos sacrum viaticum, in Diœcesi quoque ille mos seruetur, qui & in Ciuitate Laudæ, vt nimirum ea de re pridie vesperi sono Campanę significatio detur, vt mane populus frequentior adsit.

Cætera autem quę ad huius Sacramenti administrationem, & dignitatem faciunt, perpulchrè, & adamussim fuerunt per Reuerendissimum D. Prædecessorem in eius Synodo adnotata, cui in omnibus fore obediendum mandamus.

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ. Cap. VI.

CANON.

POenitentiæ Sacramentum lapsis post baptismum est ad salutem necessarium, huius vero tres sunt partes, cordis contritio, oris Sacerdoti iurisdictionem habenti integra peccatorum, maxime lethalium confessio, & ad arbitrium eiusdem Sacerdotis satisfactio. Verè autem pœnitentibus, & in Dei charitate decedentibus antequā dignis pœnitentiæ fructibus de commissis, & ommissis satisfecerint, purgatorij pœnæ indicuntur, à quibus possunt releuari fidelium viuorū suffragijs, sacrificio Missę, oratio-

orationibus, eleemosinis, & alijs pietatis officijs, nec non indulgentijs, secundum Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ instituta.

DECRETA.

MEminerint Confessarij se iudicis, & medici pariter personam sustinere, ac diuinæ iustitiæ simul & misericordiæ ministros à Deo constitutos esse, vt tanquam arbitri inter Deum & homines, honori diuino, & animarum saluti consulant, quare assiduis ad Deum precibus scientiam, & prudentiam efflagitent, vt apta cuiq; remedia applicare sciant.

Vocati ad confessiones audiendas promptos, facilesque se præbeant, superpelliceo & stola violacea induti, si seculares sint, si verò regulares eo habitu vtantur, quem in choro ad diuina officia adhibere solent, stolamque superponant ad præscriptū Visitationis Apostolicę, Conciliorum prouincial. & Synodi Diœcesanæ secundæ: in sede confessionali, in Ecclesia, & nunquam extra eam sedem, secularium maximè fœminarum confessiones audiant, nisi cogente necessitate, aut infirmitate, & tunc ostio cubiculi, vbi illę degunt, aperto, ad pręscriptum eiusdem Visitationis Apostolicę, & vt supra. Pro. 5.

Paschatis tempore testimonium illis dent scriptum, quibus pœnitentię Sacramentum administrauerint, sub pęna suspensionis comminata in Apostolica Visitatione.

Sedes confessionales tot sint in qualibet Ecclesia, & ad pręscriptam formam confectę, quot fuerint confessarij, collocenturque in loco conspicuo, & aperto, & in earum qualibet hęc pręcipuè sint affixa, ab exteriori parte vbi pœnitentes genuflectunt, aliqua imago sacra, intrinsecus autem Bulla Cœnæ Domini, Tabella casuum nobis reseruatorum, & forma absolutionis iuxta Rituale Romanum. Pro. 4.

Caueant Confessarij etiam regulares ne sine licentia nostra Pro. 5.

stra quemquam à casibus nobis reseruatis absoluant, ac
Pro. 1 pœnas à Summo Pontif. inflictas incurrant, nec restitutiones incertas remittant, vel distribuant summam viginti solidorum excedentes, sine nostra facultate.

In administratione huius Sacramenti omnis auaritiæ labes absit, neque omnino quicquam pro eo liceat, vel solo
Ibid. & Pro. 3. nutu exigere. & si eleemosina pœnitentibus pro satisfactione præscribenda sit, eam cōfessarij non sibi, sed pijs locis, pauperibusuè attribui curent, ad præscriptum Visitationis Apostolicæ.

Fidei rudimenta ignorantes acriter corripiant, eos hortentur, vt Scholas Doctrinæ Christianæ frequentent, & vbi
Ex Pro. 5. & 6. ignorantiam voluntariam in pęnitentibus repererint, eos absq; absolutione dimittant.

Parochi etiam tempore Quadragesimæ faciles se præbeant in consentiendo suis subditis, vt ad alios confessarios à nobis approbatos se conferant, eorúmq; confessiones accipiant, qua in re si Parochus renuerit, in vrbe Vicarius Generalis, in Diœcesi Foraneus concedat, eos a quo maluerint confessario approbato audiri.

Constitutio Pij V. ad medicos, vt scilicet infirmos hortentur ad confessionem, aliter eorum curam deserant, omnino seruetur.

Monemus quoscunq; confessarios etiam Regulares, vt statim audita confessione ægroti, Parochum de illius statu
Pro. 4 certiorem faciant, vt etiam non vocatus inuisere, & animę saluti, prout tenetur, consulere possit.

Sacerdotes nisi ex causa necessaria mulieres ante solis ortum, vel post eius occasum, in confessione non audiant,
Pro. 1. ad præscriptum Concilij Prouincialis primi.

Omni quidem tempore, sed eo potissimum quo confessiones frequentiores esse solent, nempe tempore Natiuitatis Dñi. & Sacratissimę Resurrectionis eiusdem, promptiores se reddant Confessarij ad suũ munus obeundum.

Curet Parochus, vt mulieres propediem pariture, ob periculum mortis, peccata sua confiteantur, ad præscriptum Concilij prouinc. sexti.

Videat

Videat autem diligenter confessarius quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, nec absoluat eos, qui tanti beneficij sunt incapaces, & quorum peccata superioribus sunt reseruata.

Reseruanda autem nobis duximus quædam grauiora peccata, infra describenda, & promulgari statuimus, ne hi, quibus animarũ cura cõmissa est, & alij item ad quos, vt optimos, & fideles mysteriorum dei dispensatores potestas delata est, extra fines egrediantur concessæ sibi facultatis, & in cẽsuras, & pœnas inflictas ob id, incurrant.

Casus autem nobis reseruati sunt infrascripti tantùm.

Hereticales blasphemias proferentes, & Deum, ac Beatam Virginem ex praua consuetudine blasphemantes.

Qui potionẽ, pharmacumue dederit, aut arte malefica vsus fuerit, vt quis moriatur, vel morbo tabescat, insaniatue, vel copula matrimonij impediatur.

Homicidium voluntarium perpetrantes, aut perpetrari mandantes, & ad id consilium, vel fauorem dantes.

Infantes quos nutriunt, etiam ex negligentia suffocantes.

Perimentes studiosè fœtum suum, vel alienum, ac sibi, uel alteri sterilitatem, abortumue procurantes.

Qui puellam violauerit, corruperitue sciens eam esse voto etiam simplici castitatis, vel religionis obstrictam.

Incęstum in primo gradu, vel secundo cognationis, etiam spiritualis, committentes.

Pater, mater, aut vir, qui consenserit vt filia, seu vxor, se prostituat.

Nefandum crimen perpetrantes, aut cum brutis coeuntes.

Qui solutionẽ ex legato pio debitã ultra bienniũ distulerit

Falsum testimonium in iudicio perhibentes, aut ad id alios inducentes.

Qui falsa instrumenta, uel falsas Syngraphas, apocasue confecerit, aut conficienda mandauerit, consiliumue dederit, seu scienter eis usus fuerit.

Conficientes libellos infamatorios, illisq; auxilium, consiliumue, vel fauorem præstantes, aut eos affigentes, scribentesue.

DE SACRAMENTO
Extremæ vnctionis. Cap. VII.

CANON.

IN Sacramento Extremæ vnctionis ægroti mens sanatur, corpus etiam in quantum expedit.

DECRETA.

QVoniam, sicut experientia nos docuit, ea est quandoque Parochorum incuria, vt oleum sanctum infirmorum, vetustate putridum, fracidumue repertum sit, ideo statuimus, vt Ecclesiarum rectores decimoquinto quoq; die oleum sanctum visitent, maximè vbi ob populi paucitatem rarò contingit eius vsus, ne eueniente casu ministrandi Sacramentum extremæ vnctionis, mucorem contraxisse, vel tempore fuisse consumptum reperiatur. Qui uero Parochus id præstare neglexerit pœnam arbitratu nostro luet.

Caueant Parochi ministraturi hoc Sacramentum, ne permittant vas olei sancti à laicis deferri, quod & à Concil. Prouinc. IIII. sancitum est, sed uel ipsi, uel eorum substituti stola, & superpelliceo induti, serica bursa inclusum, & à collo pendens piè, reuerenterq; deferant.

Sacrum oleum infirmorum in fenestella, serra, & claue munita, ad formam Visitationis Apostolicæ custodiatur, domiq; uel extra proprium locum detineri absq; licen-
Pro. 3. tia prohibetur.

Ad declinanda scandala, quæ oriri possunt, clauis olei san-
Pro. 4 cti diligenter custodiatur, ne manus nefaria ad eam possit extendi, & qui negligenter in hoc se gesserit graui arbitrio nostro, subiacebit ultioni.

Vt

Vt euitetur non solum labes, sed etiam omnis suspitio auaritiæ, ubi de Sacramentis agitur, prohibetur ministris Ecclesiæ Cathedralis, quorum sunt partes, ut distribuāt olea sancta Parochis Fer. 5. Cœnæ Domini, ne pro dicta distributione quidquam à quoquam, nec à sponte dantibus quouis titulo recipiant, & qui recipient teneantur, etiam in foro conscientiæ, ad restitutionem, sciantq; tam dantes, quam recipientes se à nobis grauissimè punitum iri.

Præcipimus omnibus Vicarijs foraneis, ut uel ipsi eant, uel alios in sacris ordinibus constitutos mittant, & bonæ conditionis ac famæ, qui cum debita reuerentia olea sancta deferant, & custodiant, ipsiq; cæteris suorum Vicariatuum curatis distribuant. *Pro. 2*

Quemadmodum fidelibus repentino morbo oppressis hoc Sacramentum confertur, ita uulneratis ad mortem non est denegandum, si nihil legitimum obstet, & saltem ueri similiter sint parati.

Suggerant Parochi fidelibus propè morituris, ut mittant pro obtinenda Episcopali benedictione, ubi commodè haberi potest. *Pro. 4*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Cap. VIII.

CANON.

SAcramento Ordinis homini traditur spiritualis potestas, quam nemo habet, nisi is, cui ab Episcopo, iuxta Sanctæ Ro. & Apostolicæ Ecclesiæ, quò ad essentialia ritè collatum est, & quæ ad ordinis spectant potestatem æquè mali, ac boni Sacerdotes administrant, atq; item quæ ad iurisdictionem attinent, quamdiu illis non fuerit abrogata; neq; hoc Sacramentum iterari potest.

DECRETA.

Pro. 3. NEmini liceat priusquam prima tonsura sit initiatus, clericalem habitum sumere, ac eo vti, sine speciali nostra facultate, eademq; litteris exarata.

Is autem qui clericalem vocationem sequi desiderat, antequã huic militiæ adscribatur, ecclesiam frequentius adeat, functiones clericales diligenter inspiciat, & examinet, ecclesiasticorumq; hominum consuetudine vtatur, quò facilius disciplinæ Ecclesiasticæ instituta animaduertat, atq; de re tota maturius ante deliberet. Pron. 4

Post acceptam primam tonsuram, & minores ordines, nulli liceat absque tonsura, & clericali habitu incedere, vt ita à laicis, quemadmodum etiam moribus, & vitæ honestate, distinguatur: delinquentes autem pœnam subibunt pro arbitrio nostro.

Certæ ecclesiæ de mandato nostro quilibet clericus adscribatur, cui inseruiat, exprimaturque in instrumentis ordinum ecclesia, in qua initiatus se exercere debet.

Scholæ Doctrinæ Christianæ in ea ecclesia, in qua stationẽ clericalem habet, incumbat; sin autem ibi non exerceatur, in Cathedralem, aut Parochialem, conueniat.

Minorum ordinum functiones ab illis præsertim præstentur, qui ijsdem ordinibus initiati sunt, aliter sciant ad ordines sacros nequaquam esse promouendos.

Census patrimonij ad summam librarum ducentarum saltem augeatur.

In instrumentis donationum conficiendis, quæ illi fiunt, qui ad Subdiaconatum est promouendus, Cancellarius Curiæ Episcopalis adhibeatur, & non alius; ne quid per imperitiam erroris in ijs conficiendis in posterum contrahatur.

Qui processatus fuerit in officio curiæ nostræ sub quouis titulo, maximè fidei, & in officio S. Inquisitionis, ad aliquem

quem ordinem non possit promoueri, absque speciali licentia nostra.

Ordinatus præstet iuramentum solitum de non emigrando è Diœcesi, ac de inseruiendo Ecclesiæ, cui erit adscriptus, & mente concipiat, quamnam obligationem contrahat, vt fidelis inueniatur semper in promissis, maximè iuratis: nam delinquentes vltra peccatum periurij, grauiter à nobis in posterum punientur.

Item iuret, patrimonium se non retrocessurum, & non alienaturum.

DE SACRAMENTO Matrimonij. Cap. IX.

CANON.

MAtrimonij vinculum si legitimè fuerit contractum, & consummatum, nullis de causis dirimi potest.

DECRETA.

ANtequam Parochus ad exigendum consensum deueniat, moneat contracturos matrimonium, vt bene cogitent; num alij fidem dederint contrahendi matrimonij; num votum fecerint castitatis, vel religionis; num inter eos sit aliquod genus cognationis, quod Parochus clarè, & distinctè explicabit, docebitq; vtrumq; contrahentium, quòd, si in gradu prohibito scienter contraherent, excommunicationem ipso facto incurrerent, & spe obtinendæ dispensationis priuarentur. Pro. 6.

Parochi ne exquirant consensum à sponsis de denuntiationibus faciendis; simul ab ambobus, sed separatim ab vnoquoque. Fœminã interrogent, loco honesto, & in propinquorum conspectu, ita tamen ne quisquam audiat. Pro. 4

diat, & ipsa libere animi sui votum possit exprimere.

Præter eam diligentiam, quam adhibere debent Parochi, ne sponsi à die præstiti consensus ad diem matrimonij celebrandi in eadem domo habitent, grauem etiam monitionem adhibeant, ne (quod præcessores nostri inter casus reseruatos retulerant) simul post sponsalia ante contractum matrimonium coeant.

Pro. 2.

Si alter contrahentium sit filius familias, eum hortetur Parochus, vt eà in re, consentiente, vel saltem conscio patre procedatur, qui si tandem consensui præstando renitens fuerit, nihilominus ad vlteriora procedatur.

Prou. 6

Si quando à nobis facultas fiat omittendi aliquas denuntiationes matrimonij contrahendi, vel ipso die vltimæ denuntiationis matrimonium contrahendi, de huiusmodi facultate Parochus populum moneat, ne forte qui matrimonij impedimenta detecturus est, vlteriorem denuntiationem expectando, eludatur.

Quando contingat alterum ex sponsis esse alterius Diœcesis, isq; fidem afferat de consensu recepto, de denuntiationibus ritè factis, ac de nullo detecto impedimento, si ordinarius ille sit extra Prouinciam nostram Mediolanensem, fides ea non ab aliquo vel Parocho, vel Vicario foraneo, sed à nobis, vel à Vicario nostro Generali tantum, plenè sit probata.

Si post trinas denuntiationes per duos menses matrimonium non fuerit celebratum, ne celebretur; nec publicationum factarum fides fiat, nisi de Nostra licentia, vel de nouo trina denuntiatione facta.

Fidem denuntiationum ne faciat Parochus ante sequentem diem, quo tertia denuntiatio facta est.

Si de uiduitate, seu transitu ad secundas nuptias casus sit, & de morte prioris mariti, vel uxoris dubitetur, Parochus ad denuntiationes secundi matrimonij, nisi de Nostra, uel Vicarij nostri generalis licentia, qui causæ cognitionem adhibeat, nullo modo deueniat.

Idem seruet. Parochus si alter coniugandorum in hæreticorum partibus habitet.

Denun-

Denuntiationum formula, quæ in Rituali Romano nouissimè edito continetur, vtatur Parochus, neq; aliam confingere liceat.

Si occurrat denuntiationibus contradici per interesse habentem, Parochus nomen contradictoris, & causam in scriptis notet, deq; proposito impedimento huiusmodi alterum Parochum certiorem faciat, si contrahentes sint sub diuersis Parochijs. Interim autem ad contrahendum matrimonium ne procedat, nisi statuto termino contradicenti, & causa cognita, & terminata in nostro tribunali.

Contradictoris nomen, cuius etiam nihil intersit, sed tantum pro exoneratione conscientiæ mouetur (si ipse ita voluerit) partibus non pandatur, ne rixandi occasio detur; Parochusq; statim rem totam secretò ad nos deferat, vt informationes eo casu, ex officio assumi possint, interimq; etiam Parochus ad vlteriora non procedat.

Qui denuntiationibus contradicendo falsum impedimentum deduxerit ad matrimoninm differendum, à Nobis seuerè arbitrio nostro puniatur, etiam excommunicationis gladio. *Pro. 3.*

Matrimonium ne contrahatur, neq; Sacerdotalis benedictio adhibeatur, nisi post signum datum Salutationis Angelicæ matutinæ, neque ante tempus, quo missam celebrare licitum est: Quod si quis procurauerit ante constitutum tempus campanas Salutationis Angelicæ pulsari, vt ante auroram matrimonium contrahatur, sciat Nos in eum grauiter animaduersuros.

Fores ecclesię, vel vna saltem, dum matrimonium celebratur, benedictioq; Sacerdotalis adhibetur, apertæ omnibus pateant, cum Sacramenta non in abscondito, sed publicè celebrari debeant, nisi aliqua iusta causa subsit impediendi matrimonium, quæ à nobis cognita, & in scriptis approbata, apud Parochum seruetur.

Verba à Parocho prolata, per quæ de consensu matrimonij vtrumq; contrahentium interrogat, prius ad virum, secundò ad mulierem dirigantur.

Antequàm verò recedant coniuges, moneat eos Parochus graui,& circumſpecto ſermone, de triplici bono nuptiali, fide, prole,& Sacramento, de mutua dilectione inter eos ſeruanda, vtendo verbis Apoſtoli. Viri diligite vxores veſtras &c. Hortetur vt certis diebus ieiuniorum &c. & quando vacandum eſt orationi, vel Sanctiſſimum Sacramentum ſumendum eſt, abſtineant &c. quæ ex Cathechiſmo Romano vberius habentur.

Vltimo referat Parochus in peculiarem librum, matrimonium contractum, diem, annum, eccleſiam, nomina, & cognomina contrahentium, teſtium, dies denuntiationum, diſpenſationum, remiſſionis denuntiationum, ſi quæ interuenerint, cum alijs circumſtantijs, quæ aliàs præſcriptæ ſunt.

DE VITA, STATV, HABITV, & Honeſtate Clericorum. Cap. X.

QVI militiæ Clericali ſunt adſcripti, diuinarumq; rerum miniſterio ſunt addicti, ſtatum talem in eccleſia Dei retinere debent, vt quò maiori dignitate,& honore præfulgent, eò nobilioribus, & excellentioribus animi, & corporis gradibus cæteris magis conſpicuos ſe reddant; idq; facile ab ipſis præſtari poſſe nobis perſuademus, ſi morum grauitate, & vitæ exemplo ipſi ſuam dignitatem retineant. Etenim Clericorum exẽplo Seculares magis inſtruuntur quàm verbis, idcirco pro eorum inſtructiori eruditione, de clericalis vitæ diſciplina infraſcripta decernenda cenſuimus.

Clericorum veſtes ſint talares, humiles, honeſtæ, decentes, ac ordini clericali, iuxta quorumcũq; ſtatum, congruentes, omneſq; clericos hoc decreto monitos eſſe volumus, vt habitum clericalem induant, qui ſit ſimplex, & mundus,& caueant ne ſit ijs ornamentis contextus, quibus nimis exquiſita veſtitus elegantia apparere poſſit. Verum

sum ne eorum dignitas vilescat, caueant etiam, ne vestibus sordidis, dissolutis, seu laceratis incedant, quamuis id fieret humilitatis causa.

Barbam à superiore labro ita sibi recidere faciant, vt pili in sacrificio Missæ, Christi Domini Corpus, & sanguinem sumentem non impediant. Pro. 1.

Cum mulieribus de quibus suspitio oriri possit, etiam extra domum, familiaritatem non habeant; domi autem famulas non retineant, nisi prius à Nobis facultatem in scriptis obtinuerint; consanguineas vero, seu illorum affines domi non retineant, nisi arctissimo gradu cum ipsis coniunctæ sint, non remotiori tamen quam secundo, ædesq; suas, in quibus & ipsi habitant, habentibus mulieres iuuenes non locent. Pro. 1.

Exequentes Decretum Concilij Prou. IV. de Parochorum habitu, iniungimus, & mandamus, vt quicunque in Diœcesi nostra, titulo perpetuo, animarum curam gerunt, caputium ferant in humeris supra superpellicea, in omnibus Ecclesijs, & Ecclesiasticis eorum omnibus functionibus: Vt autem vniformitati cum aliqua differentia congruè consulatur, volumus, vt caputij forma sit eadem fere, qua vtuntur Parochi Diœcesis Mediolanensis, ex lana, quam vocant saiam, coloris nigri, cuius extrema pars interior serica fascia circiter trium digitorum lata vestiatur: Præpositorum quidem, Archipresbyterorum, & Rectorum, qui pro tempore Vicarij foranei erunt, & quandiu erunt Vicarij, fascia sit coloris violacei; Rectorum vero simplicium coloris viridis.

Meminerint autem, eo indumenti genere significari, à Pastoribus animarum portandos esse populos in humeris suis, exemplo Iesu Christi Pastorum Principis, cuius principatus factus est super humerum eius, & qui inuentam ouem super humeros suos gaudens imposuit.

Nullus clericus annulos gestare audeat, nisi sit in ea dignitate constitutus, cui dari solet annulus: tuncque vnum solum, & digito dexteræ manus quarto. Eum vero, dum Missæ sacrificium facit Sacerdos, deponat. Atque hæc Prou. 4

statuimus sub pœna amissionis annulorum, & alijs arbitratu nostro.

Arma clericorum sunt lachrimæ, & orationes, & ideo ipsis omnem armorum vsum, vel ad proprium tutamen, vel ad nocumentum alijs inferendum, prohibemus sub pœnis grauioribus.
Pro. 1.

Ne clerici sacris ordinibus initiati, beneficiumue ecclesiasticum sine residentia obtinentes, ab hac nostra ciuitate, vel Diœcesi respectiuè, vltra octo dierum spatium, quacumque ex causa absint, sine nostra licentia: Curati uero animarum, & alij residentię adstricti extra Vrbem, vel Diœcesim respectiuè nullo modo eant permansuri vltra triduum, absque nostra facultate, sub pœna scutorum duorum pro qualibet vice.

Clerici omnes, & præcipuè curam animarum exercentes, nullo modo cum suis filijs, seu filiabus illegitimis, cuiuscunque ætatis sint, cohabitent: & in ecclesijs, in quibus ipsi inseruiunt, eos inseruire non permittant.

Clericis item omnibus beneficium ecclesiasticum obtinentibus, sacrisue ordinibus initiatis prohibemus, ne laicis hominibus cuiuscunque dignitatis sint, in quocunque vllo munere, & officio, presertim pedagogi, in eorum domibus inseruiāt: quod si nunc in hac Ciuitate, vel Diœcesi aliqui sint, qui eis inseruiant, infra mensem coram nobis sistere se teneantur, vt ab ipsis intelligere possimus eorum qualitates, & quod nam munus exerceant: & qui in hoc fuerint inobedientes grauibus pœnis arctabūtur.
Pro. 1. & 5.

Ne aliquis Sacerdos, clericusue secularis, aut regularis energumenos, seu maleficijs laborantes, prout aliàs expressè prohibitum fuisse à Reuerendiss. Nostro Præcessore intelleximus, exorcizare, & remedia ijsdem applicare audeat, nisi prius à nobis examinatus, ad id fuerit approbatus, & scripto facultatem impetrarit.
Pro. 1 & 4.

Cum nemo Deo seruiens secularibus negotijs se se immiscere debeat, propterea clerici, qui, quātum humana fragilitas patitur, irrepræhensibiles esse deberent, temporalium omnium curam à se abdicantes, nec per se, nec
Pro. 1.

per

per interpositas personas mercaturæ, alijsue secularibus negotijs à sacris canonibus prohibitis vacent, aut quomodolibet se se illis commisceant, contra quos grauiter animaduertemus.

Cæterùm instructiones quasdam ad cleri nostri mores attinentes, dabimus in lucem, & obsecramus in Domino clerum nostrum, vt diligentissimè eas obseruet.

DE CVLTV, ET REVERENTIA *Ecclesijs debita. Cap. XI.*

PIA in Ecclesijs conuersandi ratio adeo cordi fuit Sanctissimo Pontifici Pio V. vt in primo anno sui Pontificatus, immò in primis mẽsibus, nempe Kal. Aprilis 1566. vbi primum Constitutiones edidit, de hac materia decreta confecerit, quæ & Nos non solùm seruari desideramus, verũ & districtè mãdamus, vt ad ecclesias sit humilis & deuotus ingressus, quieta conuersatio, & omnes genuflexi Sacratissimam adorent Eucharistiam, & ad nomen Iesu Christi Domini Nostri reuerenter caput inclinent. Nullus in ecclesijs seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, cessent uana, fœda, & prophana colloquia, risus immoderati, & alia huiusmodi, quæ diuinum officium perturbare possint.

Nullus intra ecclesiam deambulare audeat, seu præsumat, dum celebrantur sacra missarum mysteria, & alia diuina officia, pœna vigintiquinque ducatorum proposita, vel exilij, vti in dicta constitutione dicti Pij V. quæ omnia locorum quoque Ordinarijs in suis ecclesijs, vt obseruari curent, mandat.

Concilium quoque Prouinciale primum, titulo de Ecclesijs, & earum cultu, sanciuit ne in Ecclesijs, præsertim cum diuina celebrantur officia, infrascripta quis audeat facere. nimirum.

De ambulare, uagari, circulos habere, negotijs operã dare, cum



Pro. 1 cum mulieribus, de quibus suspitio esse possit, colloqui, altaribus, fontibus baptismi, vel aquæ benedictæ adhærere, in limine, aut ante fores morari, auersos ab Eucharistiæ Sacramento irreuerenter sedere, aut cum in missa sustollitur, stare, aut quouis modo diuina officia perturbare, irreuerenter versari. Ne clericus, aut quiuis in ecclesijs, aut earum coemeterio, atrio, vestibulo, aut porticu, foribusue, quidquam venale proponat, ne ad vsum quidem sacrificij, vel ecclesiæ futurum. Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in ecclesiam ingredi liceat, neque hastam, vel sclopetos, balistas, aliaue eiusdem generis in eam inferre.

Ne mendici eleemosinæ causa in ecclesijs vagentur, sed extra ianuam consistant. Qui in horum aliquo deliquerit à Rectore per se, vel per alium ecclesiæ ministrum moneatur; nisi paruerit ab ecclesia expellatur: si id commodè fieri non possit, ad Nos deferatur, vt in eum animaduertamus. Regulares item meminerint eadem seruare, vt in dicta constitutione Pij V.

Pernoctationes, comestiones ve in ecclesijs, non permittant Ibid. Rectores, sed sub noctis horã, ecclesiarum fores claudãt; nullo pacto damnatos, criminosos, exules, in eis, vel eorum domibus recipiant, absq; nostra licentia, vel nostri Vicarij Generalis.

Mulieres in ecclesia benè velato capite conueniant, ad præscriptum Concilij Prouincialis Tertij, & Visitationis Pro. 3. Apostolicæ.

Ne frumentum, fruges, laicaue alia suppellex, aut quidquã prophanum in ecclesijs, oratorijsue detineatur, ideo claues à Rectoribus, vel à Parochis loci, vel alijs à Nobis deputatis custodiantur.

In oratorijs, in quibus altaria tolli in visitatione eorum decreuimus, omnino, & statim tollantur, Oratoriaq; nullo tempore, nisi orationis causa, aperiantur.

Oratio vespertina in ecclesijs Parochialibus sanctè, pièque introducta, in Ciuitate maximè, quadragesimali tempore, & in vesperis dierum Sabbathorum totius anni seruetur:

tur: & vbi in Diœcesi introducta hactenus non est, quantũ fieri potest, introducatur, qua in re, vti etiam in cãtandis missis, & vesperis in diebus festis, ac Processionibus publicis faciẽdis, auxilio sint Rectori omnes Sacerdotes, & Clerici intra limites Parochiæ habitantes: negligentes clerici sciant se ab ordinibus arcendos, & alias pœnas daturos arbitrio nostro, vti etiam contra Sacerdotes negligentes grauiter animaduertemus, & vbi non sunt alij Sacerdotes præter Rectorem, nec Clerici, Doctrinę Christianæ operarij, & ad id idonei admittantur.

Nullus clericus, vel alius admittatur ad inseruiendum sacratissimo missæ sacrificio, nisi calceatus, talari veste, & superpelliceo indutus; sub pœna scutorum duorum pro qualibet vice sacerdoti celebranti, si secus permiserit. *Ex Cõc. Pro. 1. & 4.*

Nonnisi in vino albo celebrent Sacerdotes, dempta necessitate.

Ecclesiæ, Oratoriaue ne situ, puluere, aut alio squalore ob sordescant, sed nitida, quantum fieri potest, munda, & ornata sint. *Pro. 4.*

Sedes omnes priuatæ, si quæ adhuc in ecclesijs tenentur, tollantur omnino, nec in posterum vllæ collocentur vnquam; communes vero aliquas, easque humiles, simplici fabrili opere confectas, modo, & forma in libello instructionum præscripta, collocari, constituique liceat, sumptibus confratriarum, quæ in ecclesijs constitutæ sunt, aut pecunia à populo contributa, aut alia quauis ratione à Nobis approbanda, ad præscriptum IIII. Concil. Prouincialis.

Parietes, & imagines perpetuo eniteant: fenestræ non subobscuræ sed perlucidæ sint: pauimentum autem octauo saltem quoque die diligenter verratur: quæ omnia vt præstentur cura sit Rectoris Ecclesiæ cuiusuis. *Ibid.*

Vsus olei oliuarum, commendatus ad lumen lampadum, in ecclesijs retineatur omnino, & ad consuetudinem inducatur in omni ecclesia.

DE HORIS CANONICIS, & Caremonijs Ecclesiasticis. Cap. XII.

LICET Reuerendissimus Præcessor noster Canonicis huius nostræ Cathedralis, & alijs collegiatim horas canonicas recitantibus, satis accuratè, & ea qua pollebat prudentia, prouiderit, regulasq; in tabellis descriptas de modo standi in choro, & horas canonicas recitandi, dederit, tamen vt quam maximo fieri potest decoro, grauitate, dignitate, deuotione, ac reuerentia de cætero recitentur, visum quoque nobis est, iuxta temporis indigentiam, prædictis addere sequentia.

Meminerint in primis stantes in choro, & horas diuinas recitantes, in conspectu angelorũ psallere, quinimmo cum ipso Domino Deo agere, & propterea toto corde inuigilare, & incumbere ad illas preces, ita vt cogitatio omnis secularis, & impura ab ipsis sit aliena, & nil aliud tunc eorum animus cogitet, quam id quod petitur (quantum permittit humana imbecillitas) aliàs sciant se muneri suo nullo modo satisfacere.

Diuinas horas attentè, & deuotè recitent, ac ita distinctè & clarè, vt mutuò audiantur, ob hanc .n. rationem diuinis interesse debent. Qui .n. stant in choro, si submissa voce diuinum persoluunt officium, obligationi suæ minimè satisfaciunt, cum alternatim illud ita recitare debeant, vt quisque alterius psalmodiæ sit particeps.

Chorum ingressi, non statim diuinum officium inchoent, sed in sedibus genuflexi aliquam breuem mentis præparationem premittant, absolutoque officio, non festinanter, & nimis properè è choro egrediantur, sed graui, ac modesto incessu, bini, & bini ordinatè ad sacristiam reuertantur.

Quando diuinæ preces recitantur in choro, caueant à con- fusione,

fusione, quę vt plurimum accidit, cum non expleto versiculo vnius partis, ab alia parte incipitur alius versiculus: qua in re maximè animaduertendum est, ne diuini cultus diminutio oriatur.

Quilibet autem in sua quisq; sede vnanimiter sedeat, oret, stet, surgat, caput aperiat, seu genua flectat, non rideat, segnis sit, aut dormitet, litteras, aliudue legat, cum vicinis canonicis non confabuletur, si quid erroris ab alijs aliquando committi contigerit, eos non irrideat, laicos ante chorum prætereuntes non salutet, ab omnibus tandem se abstineat, quæ populo astanti scandali occasio possit esse. Qui autem in aliquo prædictorum deliquerit, distributionibus illius sessionis careat.

Horæ prædictæ non solum à Canonicis statis horis sunt recitandæ, verum etiam à cęteris clericis sacris ordinibus initiatis, & beneficiatis.

Prodiere tandem, & edita sunt, summo studio recognita, auctoritate S. Sedis Apostolicæ, & Missale, & Breuiarium, & Pontificale, & Cæremoniale, & Rituale Romanum, vt nihil vltra ferè in hoc genere desiderari queat. Que omnia non solum, qua par est, reuerentia amplectimur, & recipimus, verum etiam induci in vsum volumus & mandamus, opera præsertim Præfectorum chori, Magistri Cæremoniarum, & aliorum Ministrorum Ecclesiasticorum; quibus iniungimus, vt, quæ decursu temporis, siue præter, siue contra prædicta irrepserunt, omnino tollant; saluis quibusdā laudabilibus consuetudinibus, quę cū ijsdem nihil pugnant; de quibus, si dubitari contingat, eas coram Nobis examinandas reseruamus.

DE MISSARVM Celebratione. Cap. XIII.

NEMO accipiat onus perpetuum celebrandi Missas, antequam rem totam nobiscum communicet: neq; paciscatur cum viuentibus de tali onere, nobis inconsul

 tis.

tis. Volumus autem, vt pro quotidiana annua Missa, eleemosynę nomine, Sacerdoti cuilibet dentur librę quadraginta supra ducentas Imper.

Pro. 1. Concilio Prouin. primo inhærentes decernimus quòd nullus Sacerdos missam celebrandi onus in oratorijs, seu capellis sodalitatum, scholarum, seu confraternitatum, aut in alijs cuiuscunque generis ecclesijs perpetuò, vel ad tempus suscipiat, nisi obtenta à Nobis scripta facultate, singulis sex mensibus renouanda.

Pro. 1. Nemini sine facultate à Nobis scriptis impetrata, in oratorijs sodalitatum secularium, quas confraternitates vocant, alijsue Ecclesijs, capellis, aut oratorijs secularibus, quæ Parochialis Ecclesiæ finibus continentur, Missam celebrare liceat Dominicis, & reliquis festis diebus; nisi absoluta concione, quæ inter Missam in Parochiali Ecclesia habebitur: vel nisi Parochus ante fieri permittat certa præscripta hora, iudicio Parochi. Excipimus tamen ab hac lege diem festum Sācti titularis illius Ecclesiæ, seu oratorij: & omnino capellani huic Decreto pareant sub pena Nobis arbitraria.

Pro. 3. Vt autem, quod IIII. Prouinciali Concil. cautum est, executionem habeat, interdicimus capellanis, alijsq; quibuscunq; sacerdotibus, qui in oratorijs, seu ecclesijs ius Parochiale non habentibus, rem diuinam faciunt, ne oblationes inter missę sacrum accipiant, aut exigant, nisi quibus hæc facultas à Nobis data erit.

Non audeant in dictis ecclesijs, seu oratorijs munia Parochialia obire, præsertim benedicere, & distribuere candelas, palmas, aut oliuas, verbum Dei prædicare, & similia peragere, quæ ecclesijs Parochialibus debentur. Quique huic nostro decreto contrauenerit debitas pœnas subire cogetur.

Pro. 4. Capellanis, maxime forensibus, sit interdictum ad alienas ecclesias se conferre, & missę sacrum propriæ Ecclesiæ, vel oratorio subtrahere, pręsertim diebus Dominicis, & festis. Qui negligens, contumaxque extiterit, pœnas arbitrio Nostro dabit.

Capellani cuiusuis expectandi gratia non sint in mora sacrificij,

crificij, nec ob eandem causam, missa inchoata, subsistant, aut initium repetant.

Quibus in oratorijs, seu ecclesijs non curatis, vesperarum officium diebus festis peragitur, habeatur ratio, quòd ea hora persoluatur, vt verè vesperæ dici possint, & exercitio Doctrinę Christianę impedimento non sint.

DE OBLATIONIBVS. Cap. XIV.

LICET oblationum institutum, per quod præsertim diuinus cultus augetur, ac peccata expiantur, ab initio vsq; nascentis ecclesiæ canone Apostolico sancitum, sanctissimorumq; Pontificum, ac Conciliorum decretis fulcitum, non solum retinendum sit, verum etiam ad pristinum vsum, vbi intermissum esset, restituendum foret, nihilominus quia in illis colligendis, custodiendis, expendendisue, corruptelæ, fraudesque quandoque committuntur, aut saltem committi possunt, idcirco volentes, quantum in nobis est, illas tollere, decernimus non licere in posterum alicui confratriæ, vel cuiuis alij secularium societati in earum ecclesijs, & oratorijs, vel præ foribus eorum capsulam, mensam, aliudue huius generis ad oblationes colligendas habere, sine Nostra in scriptis facultate concessa, & iuxta formulam, vt infra à Nobis præscribendam, sub pœnis Nobis arbitrarijs.

In ecclesijs vero Parochialibus, vbi permittuntur capsulæ societatis Sanctissimi Sacramenti, ac Rosarij Beatissimæ Virginis, eleemosinæ, quę colliguntur in dictis capsulis, vel etiam aliunde, intuitu dictarum societatum, consignentur thesaurario eligendo à Rectore, & Deputatis societatum, expendendæ de mandato subscripto à Reu. Curato, & altero Deputatorum, penes quos, nempe Curatum, & vnum ex Deputatis, remanebunt binæ claues cuiuslibet capsulæ, & coram quibus extrahentur, & nu-

merabuntur pecuniæ notandæ in libro ad hoc deputato, sciantque seculares, qui in Deputatos Societatum eliguntur, non dominos esse dispensationis eleemosinarum, sed Ministros, & Coadiutores Rectorum. Contra quæstores, qui sine licentia per Diœcesim quæritant, quiue aliena facultate quam Nostra, Parochi inuigilent, ad præscriptum Sacri Conc. Trid. Et, si opus est, alienā quamcunq; licentiam de manibus eorum auferant, ne populos aut grauent, aut decipiant.

DE BENEFICIIS *Ecclesiasticis*. Cap. XV.

CVM, secundum canones, ij sint tantùm ad beneficia eligendi, quibus, & morum honestas, & litterarum scientia suffragatur, ideo præsenti decreto statuimus, ad præscriptum etiam Concil. Prouin. primi, vt quicunque beneficia ecclesiastica curata, vel etiam alia cuiusuis generis, ambitiosis precibus, litterisque cōmendatitijs, per se, vel per alios à nobis extorquere procurauerint, efficiantur eo ipso inhabiles ad illa beneficia, nec per biennium ad concursum aliarum ecclesiarum admittantur.

Vt, quod primi Concilij Prouincialis sanctionibus cautum est, executionem habeat, interdicimus omnibus, & quibuscunque, qui ius habent eligendi, præsentandi, vel nominandi ad quæcunque beneficia ecclesiastica, iurisue patronatus, ne quidquam, quouis titulo, accipiant ob huiusmodi præsentationes, neue vllas apponant conditiones de reseruatione fructuum, pro quocunque alio, sed liberè ius conferant, quod habent, alias facultate præsentandi, & nominandi, deinceps vti non possint. Qui vero huiusmodi conditionibus beneficia acceperint, sciant, se, iuxta sacros canones, nullum ius in eis adeptos fuisse, alijsque pœnis obnoxios.

noxios reddi, quæ contra simoniacos extant.
Cum sit valde absurdum ante beneficiati obitum beneficia procurare, ideò districtè præcipiendo mandamus, ne quisquam proprio, vel alieno nomine, præsentationes, & nominationes à patronis laicis, vel ecclesiasticis ad beneficia de iure patronatus vacatura, conuentionibus, & pactis procurare, & præoccupare audeat. Qui secus fecerit, ad illa beneficia inhabilis declaratur, & eos, qui talia promiserint, ab huiusmodi promissione liberamus.
Sciant præterea omnes, quòd sacris constitutionibus, & Concilio primo sancitum est, non solum auctores simoniæ, sed etiam internuntios, & notarios, qui simoniaca instrumenta conficiunt, ijsdem pœnis teneri, quibus adstricti sunt ij, qui per simoniam contraxerunt.

DE CONSERVATIONE *bonorum Ecclesiasticorum. Cap. XVI.*

QVOD secundo Prouinciali Concil. cautum est, ne cuiuis beneficiorum ecclesiasticorum bona, propinquis suis intra tertium gradum in emphyteosin, aut ad cuiusuis temporis spatium, etiam per suppositas personas, locare liceat, nisi euidens, & magna Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi, præter alia iuris requisita, aliud postulare videatur, id nos confirmamus, & omnino obseruari iubemus: decernimusque locationem aliter factam esse nullam, & locatorem arbitrio Nostro esse puniendum, vt ibidem statuitur.
Beneficia obtinentes nullam faciant bonorum ecclesiasticorum locationem, ne ad breuissimum quidem tempus, nisi de dicta locatione notarius aliquis rogatus fuerit, qui publicum de ea instrumentum

conficiat, qui secus fecerit arbitrio Nostro punietur.

Aedes Parochiales, atque etiam aliarum ecclesiarum, siue etiam sint Canonicatuum, & Disciplinatorum, modò sint coniunctæ ipsi ecclesiæ, vel alijs ecclesiæ ædibus, laicis nullo modo locentur, sine Nostra licentia in scriptis obtinenda.

Vbi adest ius, decimę pręstentur, & soluantur ecclesijs quibuscunque, siue personis, sub pœna, de qua in Conc. Tridentino Sessione 26. cap. 12. Trid. 1.

Defuncti hæredes, alijue quicunq; fuerint, non audeant se se immiscere in bonis occasione beneficij relictis, quauis occasione, prætextuue, vel etiam fructus exigere, sed quæ Conc. Prouincialibus hoc de genere statuta sunt, sub pœnis in illis expressis, omnino seruentur; idque ob eam potissimum causam renouandum duximus, vt ex beneficij fructibus, oneribus beneficij satisfieri possit, prout iuris fuerit. Pro. 1. 2. 3.

Vasa, vestes, aliaue sacra, vel ad vsum ecclesiæ destinata, nec non agros, & prædia ecclesiastica locari, vendi, aut pignori dari Iudæis ne liceat, sub pœnis arbitrarijs grauissimis.

Arbores, quæ in prędijs, aut bonis ecclesiasticis sitæ sunt, ne cædantur absque assensu Nostro litteris exarato, qui nequaquam pręstabitur, nisi arbores, aut nulli iam sint vsui, aut huiusmodi, quę certo tempore, & modo cædi solent, & qui huic decreto contrauenerit, pro modo contumaciæ, pœnis, arbitratu Nostro, plectetur.

Quoniam vero res ecclesiarum quamplurimæ perierunt scripturarum monimentis, vel interceptis, vel amissis, ideo hæredibus eorum, qui beneficia ecclesiastica obtinebant, vel in posterum obtinebunt, præcipimus, vt quæ scripta, instrumenta, aliaue eius generis ad ecclesias, quauis ratione pertinentia, penes se retinent, occupantue, illa nobis spatio vnius mensis à die promulgationis huius Synodi, & in futurum à die mortis beneficiati computandi, deferant, sub pœna excommunicationis. Pro. 3

Meminerint beneficiati iuramento se adstrictos esse, quod

bona ecclesiastica non alienabunt, & alienata, quantum in eis erit, recuperabunt, ac oneribus beneficij integrè satisfacient, de ijsque omnibus in die diuinæ vltionis strictam reddituros rationem.

Quicunque obtinent ecclesiastica beneficia, in exigendis redditibus ecclesiarum, seu beneficiorum confici curent instrumenta solutionis factę per Notarios publicos, quo ad eius fieri potest; omnino vero semel quolibet triennio fiant, eorum maximè, que liuella vocantur; vt authentico testimonio, si opus sit, probari deinde possint ecclesiarum, seu beneficiorum, & partium quoque iura. *Ex Pro. 2.*

DE FESTORVM DIERVM cultu. Cap. XVII.

VT dies Deo dicati, sanctisque consecrati, ac Spiritus Sancti doctrina instituti, qua decet reuerentia, colantur; quemadmodum etiam sacrosancta Tridentina Synodus, canonum iura, summorum Pontificum sanctiones, Pij V. Pontificis constitutio, Patrum instituta, & deniq; Imperatoriæ leges disponunt, ea, quæ infra scripta sequuntur, sub pœnis arbitrio Nostro infligendis, omnino vetamus.

Ne quis diebus Dominicis, festisque ex vrbe, alioue loco, cum iter facturus est, ante discedat, quam missæ sacrificio interfuerit, nisi ad eum locum proficiscatur, vbi missæ in tempore interesse possit. Ecclesiastici vero homines, quicunque sint, & ij præsertim, qui diuinorum officiorum celebritatibus in choro adesse debent, videant, atq; adeo caueant, ne sacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religiosisque pietatis officijs, & in ecclesia potissimum à clero consumi oportet, iter, nisi ob vrgentem causam, suscipiant, quo eorum exemplo excitati fideles sacris illis diebus, à diuinis officijs, opere itinerario, non auocentur. *Pro. 5.*

Ne

Ne contractus vlli cuiusuis generis sint, neue vllæ rerum
Pro.3. executiones fiant, nisi cum iure nominatim permissum
est.

Ne officinæ, aut omnino, aut aliqua ex parte apertæ habeantur, nec illiberales artes exerceãtur, aut vllum opus
Pro.1. fiat eo tempore alienum.

Ne ijs diebus nundinæ, emporia, mercatusue agantur, nec quidquam præterea fiat, exerceaturue, quod ad earum nundinarum, vel mercatus apparatum pertineat, & præ-
Pro.3. sertim merces conducendo, etiam si in diem proximè sequentem cadant.

Choreæ, & saltationes festis diebus, saltem horis, quibus
Pro.1.3 diuina celebrantur officia, omnino ne agantur.

Circulatores, circumforanei, & id fallax hominum genus,
Pro.1.3 tempore diuinorum officiorum, in foris, & plateis ecclesiarum non versentur.

Edictum de festorum dierum sanctificatione in hac Synodo imprimi, & quotannis, inter missarũ solemnia, statis dieb. à Parochis euulgari mandauimus, vt cunctis quid agere, gerereue liceat, vltra prædicta, facilius pateat.

DE CAMPANIS PVLSANDIS *maximè ad distinctionem festorum.* *Cap. XVIII.*

CVM nostrum sit munus, pro temporum ratione, ac vicissitudine, certam horam, certumque interuallum pulsandis campanis præscribere, quibus diuinorum offi-
Ex Pro. ciorum significatio datur, & cum hactenus nulla habita
4. ferè ratione temporum, & festorum, confusæ, & inordinatæ campanarum pulsationes sint secutæ; ideo, ad tollendos abusus omnes, in posterum decernimus, quòd campanarum curator, à paraticis, vel alijs secularibus quibuscunque, etiam perquisitus, campanas pulsare nõ

audeat

audeat, ſub pœna interdicti ab eccleſia, ſed ordinem infraſcriptum, prout in tabella, penitus obſeruet.

Quando alicuius Sancti dies feſtus agitur, cuius corpus in Cathedrali, vel alia Eccleſia recōditum eſt, ſacraue eius membra, vel aliæ inſignes reliquiæ aſſeruantur, in primis veſperis aliqua ſignificatio, ipſo vero die, frequentiori campanarum ſonitu, detur; & ille Eccleſiæ locus, vbi ea ſunt, ſacrarum veſtium apparatu, & candelarum lumine ornetur, vt ad maiorem cultum diuina officia ſolemnius celebrentur.

In feſtis ſolemnibus Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Reſſurrectionis eiuſdem, S, Baſſiani, Patroni, & Protectoris noſtri, & Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, campanæ omnes per octo dies ante pulſentur: pro primis quinque diebus cum aliquali intermiſſione, & pro reliquis tribus diebus, nullo ferè interuallo pulſentur.

In Dominicis, feſtis Apoſtolorum, & duplicibus, duæ dumtaxat campanæ, vt moris eſt, in officijs pulſentur.

In feſtis paraticorum idem ſeruetur ordo, vt in Dominicis, & per tres dies ante pulſentur campanæ, ſed magno cum interuallo, vt ſolemnitates à paraticis, & generalia feſta à particularibus dignoſcantur.

In feſto autem S. Ceciliæ, pro diuinis offitijs celebrandis, campanę omnes pulſentur, dato prius ſigno per tres dies ante, vt fieri ſolet.

Caueant autem regulares, cum potiſſimè in hoc delinquant, ne in die Cœnę Domini, dato vltimo ſigno campanæ Cathedralis Eccleſiæ, & minus in Sabbatho Sācto, antequam Cathedralis eiuſdem pulſentur campanæ, audeant ipſi proprias campanas pulſare, ſub pœna ſcutorum decem in Concilio Lateranenſi inflicta.



DE INDVLGENTIIS.

Cap. XIX.

Pro.4. TRactatio de Indulgentijs, prout vsuuenerit, accuratè in sermonibus, & concionibus habeatur, vt, & earum cœlestem vim, & pietatis officia ad illas consequendas necessaria, Christi fideles intelligant, & omni intima mentis, animique religione, & Christianæ charitatis actionibus, atque operibus, pro earum consecutione, diligenter se præparent.

Sess.21. c.vlt. Indulgentię populo ne publicentur, nisi à Nobis, vel à Vicario nostro Generali, cum duobus de capitulo probatę, subscriptæue sint, vt cauetur in Concilio Tridentino.

Pro.5 Eleemosinæ eo nomine oblatæ à fidelibus, ecclesiæ, locoue, cuius causa Indulgentia concessa est, omnino tribuantur, ad præscriptum Concilij Prouincialis quinti.

Pro.5 Litteræ Indulgentiarum, inscriptionesue earum nomine exaratæ, eo loco vbi capsa ad eleemosinam colligendam (si forte eam concesserimus) parata est, etiam extra ecclesiam, ne proponantur, sed vel in altari maiori, vel in alio, vbi Indulgentiæ causa statio, oratione constituta est.

Summarium saltem Indulgentiarum concessarum à Sanctissimo Domino Nostro Paulo V. Scholis Sanctissimi Sacramenti, habeat vnaquęque Parochialis ecclesia, vt annuntiari, & legi possit, & præcipuè comitantibus Sanctissimum Sacramentum, quando defertur ad infirmos, ad præscriptum Ritualis Romani; similiter Summarium Indulgentiarum per eundem Summum Pontificem concessarum Scholis Doctrinæ Christianæ, quod habetur in Regula Doctrinæ Christianæ impressa Laudæ, 1616.

Pro.6. Moneantur sæpe populi, tùm per Parochum, tùm per concionatores de Indulgentijs à Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XIII. concessis orantibus per horam.

ram.

ram in expositione Sacratissimæ Eucharistiæ, sub titulo 40. horarum. Item orantibus in eleuatione Corporis Domini, missæ maioris, Cathedralis. Item astantibus concioni, & missæ maiori, ac orantibus pro mortuis certa hora, & recitantibus ter Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, in singulis ferijs sextis, quando datur signum campanæ, paulò ante horam nonam, ad Christi Domini Passionem, intima animi pietate, recolendam.

DE PROCESSIONIBVS. Cap. XX.

A Cathedrali, vel cuiusque loci maiori ecclesia, processiones proficiscantur, & eòdem reuertantur, nisi aliud Nobis visum fuerit. Pro. 1

Conueniant autem omnes clerici seculares, superpelliceis, & vsitatis alijs sacris vestibus induti, & Regulares omnes, ac sodalitates quæcunque, hora à nobis statuta, & qui non venerint ante inuocationem Sanctissimæ Trinitatis in Litanijs, vt absentes arbitrio nostro punientur. Ibid.

Post incohatam processionem, sodalitates, aut alia collegia, illi se iungere non audeant, cum ex hoc sæpe contingat, non sine graui populi offensione, processiones perturbari; quod etiam fuit cautum in Synodo Diœcesana secunda, licet hactenus male seruatum.

Inter clericos, dum Processiones fiunt, laici homines ne incedant, neque inter Nos, & clerum laicis locus sit, vt etiam cautum est in Visitatione Apostolica, & Concilio Prouinciali quarto. Chirothecas, aut flores nullus præ manibus habeat, sed breuiarium, seu diurnum, & litanias, aut psalmos, hymnosue supplicationi, quæ agitur, conuenientes, deuotè, & clara voce decantent, à colloquijs, & risu abstinentes; pileum, aut pallium gerere non au- Pro. 4

deant, nisi tempore pluuiæ, ad præscriptum Synodi Diœcesanæ secundæ.

Laici in processionibus esculentum aliquid, aut poculentum non deferant, nec vendant, prout in Concil. Prouin. Visitatione Apostolica, & Synodo Diœcesana secunda cauetur. Clerici à Nobis, vel Præfecto chori Cathedralis deputati in Ciuitate, & Parochi in Diœcesi, vel ij quibus ipsi demandauerint, ad Processiones ordine dirigendas, bellaria huiusmodi vendentes expellant; ac etiam pro viribus prohibeant, ne vlli in angulis viarum, vel alibi stent spectantes processiones, dum transeunt, maximè fœminę, quod non parum detrimenti, & distractionis afferre solet: inobedientesq; & contumaces ad Nos deferantur, vt aliquod opportunum remedium huic incommodo adhibeamus. Pro. 1

Pro. 6 De Processionibus noctu à Confratribus laicis, sine Nostra licentia, certis præscriptis regulis, non habendis, seruetur Decretum Concilij Prouinc. sexti, titulo. Quæ ad Confratrias. Et Synodi Diocesanæ secundæ.

Mulieribus autem Processiones nocturnas obire interdictum omnino sit.

Particulares processiones ne aliqui, etiam regulares, vel confratres, licet aggregati, obeant extra limites suos, sine licentia scripto à Nobis obtenta, prout cauetur in Visitatione Apostolica, sub pœna interdicti.

Duo saltem lumina ad crucem adhibeantur, dum circumfertur in processionibus, etiam si extra ambitum ecclesiæ non procedatur, ad præscriptum etiam Visitationis Apostolicæ. Pro. 2

Nemo ordinem in processione deferat, antequam ad ecclesiam, vnde profecti sunt, redierint, vt cauetur Concilio Prouinc. primo. Omnes clerici, in ijs, quæ pertinent ad ecclesiasticam disciplinam in Processionibus omnibus, illasque pias functiones obeundas, Præfecto Ecclesiæ Cathedralis obediant, nullusq; præter ipsum aliquid statuere posit, vt cauetur etiam in Synodo Diœcesana secunda, vt ea modestia, ac reuerentia adhibeatur, quæ

pijs,

pijs,& religiosis huiusmodi actionib. maximè debetur.

Cum supplicationes publicas, solemnesq; fieri opus erit, primum earum causa processiones agantur, deinde missa solemniter celebretur, nisi aliter aliquando ob causam iusserimus. *Tro. 4.*

Clerici omnes seculares, & regulares in Cathedrali collecti processionum causa, tacite precando consistant, donec illas obeant, ne per ecclesiam vagentur, aut quidquam aliud agant, quod Concil. Prouinc. secundo vetitum est. Custodes Cathedralis, si quos animaduerterint vagantes, de ambulantes, colloquentesue, authoritate Nostra prohibeant, contumaciũ vero nomina ad Nos deferant. *Ibid.*

Religiosa consuetudo seruetur, vt omnes tùm mares, tùm fœminæ, sacro solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi D. Nostri, religiosoq; die, eam processionis celebritatẽ, non è fenestris, neque è superiori loco inspiciant, nec in portis, sed eam prosequantur omni piæ, religiosæq; venerationis studio; caueant etiam qui è Scholis Doctrinæ Christianæ præeuntibus circulum perfecerunt, ne in vijs se sistant, sed recto itinere sub suo vexillo ad propriam ecclesiam se recipiant.

Locus in processionibus vnicuiq; debitus, iuxta personarũ qualitatem, in Synodo secunda assignatus, ne perturbationis, aut scandali occasio detur, omnino seruetur, videlicet, sub vexillo S. Bassiani, primo clerici in minoribus ordinibus constituti, tùm Subdiaconi, Diaconi, Presbiteri non beneficiati, postea beneficiati, demum Vicerectores Parochialium ecclesiarũ, Vicarij perpetui, Rectores, & vltimo loco Præpositi, ante crucem S. Laurentij; sub ea vero incedant tãtùm choro illius Ecclesię actu, & uerè inseruientes, deinde sequatur Crux Ecclesię Cathedralis cum candelabris, vnà cum clericis etiam Seminarij, Custodibus, & reliquis actu eidem inseruientibus, tùm Mansionarijs, & Capellanis titularibus residẽtibus, postremò Canonicis, & Dignitatibus. Alij vero in dicta Cathedrali beneficiati actu non inseruientes, sub Cruce Cathedralis non admittantur, sed præeant cum cęteris beneficiatis, vt supra.

DE

DE IMMVNITATE Ecclesiastica. Cap. XXI.

CVM sępenumero propter aliquod delictum, vel sanguinis copiosam, & iniuriosam effusionem, vel alio modo polluantur ecclesiæ, vel aliàs in eis ecclesiastica violetur immunitas, idcirco, vt malis omnibus, quantum in nobis est, occurrere, & animarum saluti consulere possimus, districtè præcipiendo mandamus, vt omnes Parochi, intra quorum Parochiæ fines posita est ecclesia, nec non ipsius Rectores, aut beneficiati, si præsentes fuerint, aut aliàs id resciuerint, etiam si ea Regularium sit, aut aliàs exempta, vbi delictum patratum, vel immunitas violata est, statim à diuinis in ecclesia, sic, vt præfertur, offensa, cessent, & cessare faciant, totamque rem statim Nobis, seu Vicario Nostro deferant, vt quid agendum sit decernere valeamus:

Pro.6.

Et si contigerit, vt ab aliquo exule, damnato, vel criminoso, clerici, & rectores sint requisiti, vt illum ex loco libero in eorum ecclesijs, cœmeterijs, vel domibus recipiant, sub pœna excommunicationis mandamus, vt prius Nos consulant, antequam assentiantur; & casu quo tales personæ, non præmonitis clericis, ad huiusmodi loca se contulerint, ijdem clerici, eiusdem pœnæ periculo, Nos quamprimum certiores faciant, vt malis occurrentibus salubriter prouidere valeamus.

Pro.1.

Quando aliqui sint ab ecclesia interdicendi, & à Parochis id fieri non expediat, ad Nos eorum nomina deferant, vt ad valuas saltem ecclesię nostrę Cathedralis, tanquam interdicti, euulgentur.

Animaduertant iudices seculares, ne quidquam committant contra constitutionem Gregorij XIIII. indistinctè, & propria authoritate, ab ecclesijs extrahendo laicos criminosos, & delinquentes: quo in casu sciant se

illicò

illicò censuris in dicta bulla, ac alijs constitutionibus Pontificijs, irretitos esse.

DE FESTORVM Translatione. Cap. XXII.

COGIT interdum vel temporis ratio, vel ipsa necessitas, vt quæ à maioribus piè instituta fuerunt, ea mutari, & in alium locum, ac statum, qui magis opportunus, & idoneus esse videatur, tranferri necesse sit. Cum igitur dies Festus S. ALBERTI Episcopi Lauden. in eam anni partem incidat, in qua ruris labores, atq; operę maximè feruent, nec intermitti sine maximo detrimento possint, Nos experientia admoniti dictum festum passim violari, aut intoleranda multorum importunitate, vndique ex tota Diœcesi ad Nos confluentium, vt à Nobis rusticorum operum, eo ipso die exercẽdorum, facultatem obtineant, fieri, vt vix iam, quo decet cultu, & religione, solenne illud festum obseruari possit, animarum saluti consulere, & Sanctissimi Compatroni nostri memoriam sartam tectam retinere cupientes, pręsenti decreto sancimus, vt ipsius S. Alberti dies festus, qui secundo non. Iulij celebrari solet, transferatur in secundam Dominicam eiusdem mensis, quò commodius, & sanctius ab omnibus seruari possit.

Festum S. Vrsi, quod aliquo cum incommodo die prima Februarij celebratur, transferatur in Dominicam primam, post festum Purificationis B. V. quæ si fuerit Dominica primæ, vel secundæ classis, festum quidem in Cathedrali fiat apparatu solemni, sed officium in diem sequentem, non impeditam festo nouem lectionum, transferatur.

Quò plures, & grauiores colendi sanctorum memoriam sunt causæ, eò illi maiori in honore sunt habendi, itaque cum maiorum traditionibus, antiquissimis grauissimo-

rum

rum scriptorum monumentis, & constanti omnium fama, Nobis apertissimè constet, sanctissimos martires Naborem, & Fęlicem in Sileris Ponte, cuius vestigia adhuc extāt apud veterem Laudam, martirio affectos fuisse, vt merito Laudenses martires dici, & haberi debeant; præcipimus illorum festum diem, qui die duodecimo mensis Iulij fieri solet, in posterum per totam nostram Diœcesim celebrari officio duplici. Diem verò S. Vguzoni, qui in Cathedrali eodem die celebratur, transferri volumus in decimum quintum diem eiusdem mensis Iulij.

Dies Sancti Firmi, qui occurrit in Vigilia S. Laurentij martiris, ita demum obseruetur ab ijs quorum pietate colitur, vt impedimento non sit, quominus in ipsa Vigilia S. Laurentij ieiunetur, cum hoc sit de præcepto ecclesiæ festum autem S. Firmi nonnisi ex deuotione; & omnino tollatur abusus, seu illaudata consuetudo ieiunandi in Vigilia ipsius Sācti Firmi eo animo, vt vno, & eodem die etiam satisfiat ieiunio Vigiliæ S. Laurentij, qua de re Parochi monebunt populum die Dominico præcedenti, inter Missarum solemnia.

Officium S. Ricardi posthac in Cathedrali fiat ritu duplici cum expositione reliquiæ insignis eiusdem Sancti.

Commemoratio Sanctorum Syri, & Inuentij Episcoporum Papien. fiat per totam Diœcesim eo die, quo eorum festum occurrit, prout in Calendario notabitur.

DE LEGATIS PIIS: Cap. XXIII.

NOTARII, qui testamenta, codicillos, aliaue instrumenta vltimæ voluntatis confecerunt de rebus ad pias causas, siue pro malè partis, furto sublatis, uel ecclesiæ relictis, nisi sex mensium spatio à die obitus testatoris, Nobis in scriptis illa denuntiauerint, ac significauerint, iuxta dispositionem Conciliorum Prouin. primi, & secun-

secundis, sint ipso iure excommunicati. Qui autem de cetero huiusmodi instrumenta confecerit, sub eadem censura teneatur, infra terminum trium mensium, post mortem testatoris, dicta pia legata, relictaue Nobis denuntiare.

Clerici item quicunque, etiam regulares, qui presentes, vel testes ad supradicta adhibiti fuerint, infra quindecim dies à die obitus testatoris, teneantur pariter dicta legata pia, & pias dispositiones denuntiare.

Moneantur hæredes piarum voluntatum priuatim, & publicè à Parochis in eorum Ecclesijs, vt quamprimum dicta pia legata persoluant: & quòd, si segnes fuerint satisfacere, præterquam quòd strictè Deo rationem de huiusmodi negligentia sunt reddituri, transacto tempore ab eodem testatore eis præscripto, à Nobis etiam, prout iuris fuerit, omnino piam testatoris voluntatem adimplere cogentur. *Pro. 2.*

Qui pecuniarum solutionem ex pia causa debitarum, puta Missarum, Officiorũ, exequiarum, & huiusmodi, vel negauerit, vel vltra mensem distulerit, cogatur omnino soluere, iuris remedijs adhibitis, instante Parocho, seu eo, cuius interest, coram Vicario Generali, seu Vicario proprio foraneo, cui in hac re vices nostras committimus. *Pro. 1. & 2.*

DE FVNERIBVS, & Exequijs. Cap. XXIV.

DABVNT operam Parochi in primis, vt infirmos suæ Parochiæ, præcipuè verò agonizantes frequenter inuisant, &, si fieri possit, eo tempore presto sint, cum illi animam sunt efflaturi, quò in extremo vitæ spiritu præsentes subsidio illis esse possint.

Cum primum aliquis è vita migrarit, statim à propinquis, & hæredibus defuncti moneatur Parochus, si forte cum ille moreretur non aderat, vt ducendi funeris certa

hora constituatur, & reliqua cum eo tractentur, quæ expedire videbuntur.

Sacerdotes omnes, & clerici, tam Seculares, quam Regulares, cum ad funus, vel ad officia, & missas pro defunctis peragendas conueniunt, omnibus rebus abstineant, quæ scandalum afferre possint, vt risu, confabulationibus, & alijs huiusmodi rebus ludicris: & Seculares quidem veste talari, & superpelliceo sint induti, non ocreati, neque pileati; Regulares verò vestibus vtantur, & habitu suo ordini congruenti; denique omnes eam retineant modestiam, & decorum, vt religiosam grauitatem pari pietatem coniunctam præseferant.

Cadauer nullum sepulturę tradatur, nisi post ortum, & ante
Pro. 1. solis occasum, & post duodecimam horam, postquam
Pro. 6. defunctus spiritum exhalarit. Si vero ex improuiso quis mortuus fuerit, expectetur hora vigesima quarta postquam animam egerit, & vltra de consilio medici, antequam sepeliatur.

Nulla crux in funeribus deferatur, nisi Parochialium, Collegiatarum, ac aliarum Ecclesiarum, quæ clerum habent
Pro. 1. subsequentem. Quòd si capellani monialium, vel rectores simplicium ecclesiarum ad funus prosequendum inuitati fuerint, sub cruce Parochialis Ecclesię, defuncti incedant atq; illę omnes cruces non per laicum, sed per clericũ veste talari, & superpelliceo indutũ, deferantur.

Dedecet vocari tam paucos sacerdotes ad funera, vt non sufficiant ad officium ritè peragendum circa cadauer, vocatis simul longè pluribus alijs, seu Regularibus, seu Confratribus: ideo mandamus, vt quandocunq; defunctus sepeliendus sit intra limites Parochiæ, (non tamen in ecclesia Regularium) & plures Confratriæ simul, seu Collegia Regularium inuitantur ad funus, ijs casibus vocentur etiam duodecim saltem sacerdotes, præter curatum. Si vero extra fines Parochiæ, vel in ecclesia Regularium est deponendus, & Confratria, vel Collegium Regularium, cum Confratria simul inuitetur, ijs casibus saltem sex vocentur, præter Curatum, Sacerdotes.

Im

In Ecclesijs, aut oratorijs, tam monialium, quam Confraternitatum, aut aliorum locorum, qui non sint exempti, officium super defuncti cadauer non per alium, quam per Parochum illius Parochiæ, intra cuius limites erit illa Ecclesia, vel Oratoriũ, fiat, sub pœna Nobis arbitraria. *Ex Pro. 6.*

In efferendo cadauere, seu etiam mandando sepulturæ tollantur omnes abusus, & ea omnia, quæ superstitionem sapere videntur. *Pro. 4.*

Laudabilis illa consuetudo, quæ iam pridem inualuit superiorum Episcoporum decretis confirmata, vt quando ecclesiæ Cathedralis Capitulum ad funus associandum, vel ad aliqua officia pro defunctis peragenda inuitatum fuerit, Sacerdotes omnes, & Clerici, etiam Regulares, ad idem funus, vel officium inuitati, cuiuscunq; sint Dignitatis, in ipsam ecclesiam Cathedralem congruo ordine conueniant, omnino seruetur, excepto tamen Parocho defuncti sepeliendi, qui cum suis socijs ad domum defuncti, peracto prius officio super ipso defuncto, dictum Capitulum, & reliquos expectabit, postea verò dignior ex dicto Capitulo Cathedralis, qui tunc aderit, pluuiali, & stola indutus, preces & orationes, ad pręscriptum Ritualis Romani, antequam cadauer efferatur, ipse quoque recitet.

Officium pro defunctis tàm in funere, quam in exequijs, fiat ex præscripto Ritualis Romani, quod nuper est impressum; & vbi viget consuetudo recitandi nocturnum ea seruetur.

Si ad funera, exequias, aliaue pro mortuis officia obeunda, in quauis Ecclesia nõ exempta, aut oratorio, etiam confraternitatum laicorum, alij sint inuitandi, vocetur in primis Parochus intra cujus fines erecta est Ecclesia, seu oratorium.

Si cadauer defuncti, qui obierit extra vrbem, deferatur in vrbem, vt inibi sepeliatur, & tempore mortis habuerit in vrbe domicilium, nullo modo sepeliatur sine interuentu illius Parochi, in cuius Parochia domicilium habebat.

Cum effertur cadauer, via procedatur, quæ à domo ad ec-

Pro.4. clesiam recta, ac breuis sit: si vero adeo breuis, & compendiosa est, vt ordines eorum, qui funus comitantur, intra illius fines contineri non queant, tunc via paulò longiori funus ducatur, idq; iussu, concessuue Parochi, aut dignioris Sacerdotis de capitulo Cathedralis, si aderit.

Pro.1. Ad tollendas cõtrouersias de præcedentia, cautum est Decreto Conc. Prouin. primi, ut Parochus Regularis, & Parochus secularis, qui iure Parochiæ in funus eunt, pares progrediantur: reliqui vero Regulares eum locum teneant in funeribus, quem in generalibus processionibus tenere consueuerunt, non obstante quauis consuetudine, vel pactione, quam inter se fecerint.

Ibid. Parochus, intra cuius Parochiæ fines aliquis alienæ Parochiæ occisus est, eius cadauer liberè aliò transferri nullo prætextu prohibeat, nihilq; ea de causa accipiat: si vero translatio ea cum funere fiat, liberum sit ei vti iure suo.

Animaduertimus, non sine admiratione nostra, eleemosinã ceræ, quæ dari solet Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ cathedralis pro funeribus, adeo esse tenuem, & exiguam, vt præter decorum personarum, & dignitatis, qua funguntur, id fieri videatur; idcirco statuimus, ne posthàc Capitulum Ecclesiæ nostræ Cathedralis vllius defuncti funus prosequatur, nisi detur singulis Canonicis eiusdẽ, cereus vnius libræ saltem, Dignitatibus vero vnius cum dimidia, Præposito deniq; duarum librarum, & ea item lege, vt in cereis distribuendis minor portiò contingat vnicuique de clero, quàm sigillatim Canonicis prædictis; & quia proprio Parocho duplicatur ceræ portio, ea detur in duplici cereo, non in vno tantùm.

Nulli Sacerdotes alienæ Diœcesis admittantur ad missas, tam in exequijs, quam in alijs occasionibus, celebrandas, qui à Vicario foraneo non sint approbati, quos, & volumus missam ritu Romano celebrare, sub pœna Parocho ad arbitrium infligenda.

In qualibet ecclesia, in qua plura anniuersaria, & officia pro mortuis sunt peragenda, in certo libro, vel tabella

notetur, quo die in singulos annos, & quot, à quibusue Sacerdotibus id faciendum sit.

Pia consuetudo orandi pro mortuis certa hora, dato campanæ signo, nullo modo prætermittatur, cum hoc spirituali mercede non careat. Pro.6.

DE CONFRATRIBVS Disciplinatis. Cap. XXV.

QVI Disciplinatorum numero adscribendus est, amictum (quod est insigne Confratriæ) non sumat, nisi prius à Sacerdote, statis precibus, benedicatur. Pro.5.

Eundem postea amictum nunquam domi, aliove in loco, sed in schola conseruet, in choroq; perpetuò adhibeat. Ibid.

Officium tantummodò Beatæ Virginis Confratres omnes recitent.

Sacræ vestes, omniaq; indumenta diuinorum officiorum cultui dicata, laicis manibus non contrectentur.

Procuratores Confraternitatum, & ministri etiam inferiores, non permittantur diutius, quam par est, in officijs, & curationibus sibi creditis permanere, ne rerum sibi arrogent imperium: porrò qui idonei videbuntur, ad alia munera successiuè peragenda, transferantur.

Sodalitates, quę aggregationis iure hospitalitatem habent annexam, licet longo temporis spatio eam intermiserint, quamprimum in pristinum restituant.

Sanctum illud institutum, vt in hospitali Confraternitatis S. Deffendentis, fœminę tantùm conueniant, vt ita à maribus seorsum habitent, perpetuò seruetur.

In alijs uero Hospitalibus animaduertatur, ut adolescentes cum maioribus natu, & bene ualentes cum infirmis, non cubent. Pro.5.

Si ratio poterit iniri, ut pro religiosis hominibus semotus locus, & aliquanto etiam decentius paratus

habea-

habeatur, pro dignitatis reuerentia, praeclarè actum videbitur.

Confraternitates omnes, singulo quoq; anno, rationem administrationis Nobis, vel nomine Nostro Deputato reddant, ad praescriptum Concilij Tridentini, Prouin. sexti, Synodi Dioecesanae, & superiorum Visitationum: liberationesq; earum thesaurarijs, nisi Nobis praesentibus, vel consentientibus, non fiant.

DE REGVLARIBVS. Cap. XXVI.

REGVLARES omnes in Domino hortamur, vt instituti sui memores sint, in omniq; religiosae virtutis officio, ita se praebeant, vt in vinea hac domini excolenda, fideles, atq; vtiles operarij dignoscantur.

A circulatoribus, alijsq; inanibus spectaculis, maximè in foro, & locis publicis, se subtrahant, ne aures, & oculi sacris officijs addicti, impuris actionibus, sermonibusue distracti, polluantur.

Quod de sacrae scripturae lectione in monasterijs instituenda,
Pro.4. Tridentini Concilij decreto cautum fuit, re ipsa diligenter praestent, & ea omnia, de quibus in praecedenti Dioecesana Synodo fuerunt admoniti, omni studio, ac diligentia executioni mandari curent.

Pro.5 Praecipuè vero de diebus festis seruandis, qui in Ciuitate, &
Sess.25. Dioecesi, ex praecepto Nostro, seu Praedecessorum No-
c.12 strorum, vel ex consuetudine coluntur, ad Concilij etiam Tridentini praescriptum.

Denique, vt illis etiam in Apostolicae Visitationis decreto iniunctum fuit, bini, quantum fieri potest, non autem soli, & integro habitu suę religionis, per vrbem incedant;
Pro.5. quo etiam habitu vtantur in confessionibus audiendis.

Regulares viros decet esse adiutores Episcoporum, & pręsertim ad docendum populum, & in via Domini erudien-

diendum. Sed ait Apostolus. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? mitti vero debent nonnisi ab eorum Prælatis ad Episcopos,& ab Episcopis ad sibi subiectos populos,quare monemus omnes in Domino,vt contenti Prælatorum suorum litteris, commendatitias extraneorum ne quærant, & qui ad Nos eas detulerint, vel transmiserint,sciant ipso facto reijciendos fore.

Nemini Regulari, ne in sui quidem ordinis Ecclesia,cõcionari liceat,antequam Nobis,seu Vicario nostro,ille,quicunq; est concionaturus,fidei professionem,ad præscriptam à Pio IIII. formam, præstiterit. Vbi vero semel emiserit,ea de re,satis est, si authenticum exhibeat testimonium. Pro.5.

Et quamuis detur facultas concionandi in certa ecclesia, locoue, non tamen intelligatur data, concionandi in alijs ecclesijs,seu oratorijs Nostræ Diœcesis,sed approbati à Nobis in hoc genere, licentiam expressam saltem à Parocho habeant, intra cuius Parochiæ fines, illi sunt concionaturi.

De Conseruatoribus regularium, & exemptorum declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Triden. interpretum, in tota Prouincia Mediolanen. licere Regularibus Conseruatores sibi constituere, tam ex Canonicis Ecclesiarum Cathedralium (qui ideo omnes deputati sunt in Synodo Iudices) quam ex alijs iudicibus Synodalibus. ac præterea Episcopos, ijsq; superiores, eorumque generales Vicarios intra vnam tantum, vel duas diætas, prout illorum priuilegijs cautum reperitur. Si qui sunt nunc temporis Conseruatores alij à prædictis, immutari debent; quorum tamen ritè acta omnia ad hanc vsq; diem Sacra eadem Congregatio confirmauit, iussitque omnino valere, ac si legitimi fuissent Conseruatores deputati. 27.Sept. 1614.

Illud etiam nouerint, à Sacra Congregatione Cardd. super negotia Episcoporum,& Regularium, de mandato speciali Sanctissimi Domini Nostri Pauli Papæ V. renouatum fuisse Decretum Clementis V. Pont. Rom. quo Re- 30. April. 1614.

gulares

gulares prohibentur, intra septa Monasteriorum tenere arma prohibita, sub pœna excommunicationis; facultas autem quęcunq; sublata est, ea permittendi, superioribus quibuscunq; Regularium; & præsertim sclopos rotatos, tam longiores, quã breuiores, neque intra Ecclesias, neque in domibus suis; additis præterea pœnis priuationis officiorum, dignitatum, beneficiorumue; & inhabilitatis ad quæcunque officia in posterum obtinenda, ipso facto, absque alia declaratione: super quibus à nemine, nisi à Ro.Pont. habilitatio, dispensatioue, aut absolutio, nisi in mortis articulo, possit impartiri.

Nemini Regularium liceat cuiusuis generis venationi, vel aucupationi, piscationiue, maxime strepitosæ, operam nauare, cum ex eis scandali, & damni plerunq; occasio detur. Neue liceat ijsdem è monasterijs, habitu dimisso, vel celato egredi, armaue cuiuslibet generis deferre. Ex his .n. in Ecclesia Dei tantum detrimenti oriri sæpe numero solet, quantum ex conseruatione rectæ institutionis splendoris afferri; secus autem facientes punientur prout de iure, cum extra claustra delinquant.

Caroli Cardinalis, & Venerabilium fratrum nostrorum Prouinciæ Mediolanensis Episcoporum diligentiam, sollicitudinemq; Pastoralem plurimum in Domino laudamus: deinde cum cupiamus, vt, quæ Deo auctore pie sanctéq; institutæ sunt, & propagatæ illo nomine sodalitates, eæ in dies magis, adiutrice diuina gratia, ad Christi Domini gloriam, & animarum salutem augeantur; vniuersas eas sodalitates in Ciuitate, Diœcesi, & Prouincia eadem Mediolanensi, iam institutas, & in posterum instituendas, tùm singulos vtriusque sexus in illis adscriptos, adscribendosue specialibus fauoribus, & spiritualibus gratijs complecti voluimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus, viris, & fœminis, qui, quæue in eadem, & Vrbe, & Diœcesi, & Prouincia Mediolani alicui doctrinæ Christianæ sodalitati se adscripserint, vt debitam in ea operam præstent, eis verè pœnitentibus, & confessis annos decem, & totidem quadragenas, cum vero ijdem in officio suo perseuerantes, confessi, & contriti, Domini corpus sumpserint, illis alios decem, & quadragenas totidem, quoties autem in doctrinæ Christianæ scholis operam nauauerint, centum dies de iniunctis pænitentijs, vel alias quomodolibet debitis misericorditer in Domino relaxamus; ac præterea cum ijdem certo die, quem vnum in anno idem Cardinalis Archiepiscopus, eiusue pro tempore successor, aut alibi in Prouincia Episcopus, in sua quisque Ecclesia præscripserit, sacram Communionem sumpserint, Plenariam omnium, singulorumq; peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, ac Plenariam item eisdem in mortis articulo constitutis, sanctum Iesu nomen ter inuocantibus, vel Orationem Dominicam, Salutationemq; Angelicam semel recitantibus, etiam misericorditer in Domino concedimus, atque elargimur his literis, quas sub quibusuis similium, vel dissimilium Indulgentiarum reuocationibus, suspensionibus, vel derogationibus per Nos, seu Sedem Apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, pro

tempore editis, & edendis nullatenus comprehensas; sed semper ab illis exceptas, & quotiens illa edentur, in pristino statu esse, & censeri, atque eisdem Christi fidelibus perpetuo suffragari debere decernimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris; die 30. Octobris 1572. Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæsar Glorierius.

Facultas Indulgentiæ ægrotis concedendæ ab Episcopis Prou. Mediol.

Gregorius Papa XIII.

VEnerabilibus fratribus Archiepiscopo, & suffraganeis Prouin. Mediolanen. salutem, & Apostolicam bened. Quemadmodum medicos corporis sanitatem ægrotantibus, quos inuisunt, maximè procurare conuenit, ita etiam animarum medelæ à Deo Præfectos Antistites omni quidem tempore, sed præcipuè corporis mole grauibus morbis obsessa, illarum curæ, & sanitati plurimum decet studere. Vt igitur id commodius, & alacrius facere valeatis, vestráq. salutarem ægrotantes ipsi sentiant medicinam, vobis, & vnicuique vestrum, quotiescunq. in vestra Ciuitate, & Diœcesi ægrotantes aliquos Christifideles in Domino visitaueritis, vt eisdem contritis, & confessis, Plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam; quandocunque verò eosdem sic ægrotantes, per alios censueritis, vestro nomine visitandos, septem annos Indulgentiæ; semel tantùm in illa infirmitate concedere valeatis, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi amplam, liberam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem concedimus, & elargimur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq. contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 30. Decembris 1580. Pontificatus nostri anno octauo.

Signata Ca. Glorierius.

Litteræ Conc: Sexti Prouinc. de conueniendo ad audiendam Missam in Ecclesia Parochiali diebus festis.

FVIT olim tanti apud antiquos Patres ille frequens in Ecclesiam propriam Parochialem fidelium conuentus, vt ad hanc disciplinam Populi Christiani institutioni valdè accommodatam retinendam, certis Decretis cautio aliqua adhibita sit. Primò enim hoc iussum est, vt Dominicis, festisque diebus Parochi antequàm Missam celebrent, plebem interrogent, an alterius Parochię fidelis adsit; qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam audire velit, quem si inuenerint statim inde eijciant, & in Parochialem suam Ecclesiam ad Missam audiendam, redire compellant. Deinde illud planè vetitum fuit, alienæ Parochiæ fidelem à Parocho ad Missam non recipi, nisi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit. Cuius veteris disciplinæ restituendæ, in vsumque reuocandæ desiderio fragrans, olim summus Pontifex Vrbanus VI. eo de genere Apostolica sanctione diligentissimè cauit, & nuper sacra Tridentina Synodus œcumenica ab Episcopis fideles non solum hoc moneri voluit, vt frequenter ad proprias parochiales Ecclesias saltem Dominicis diebus, festisq; maioribus accedant; sed illud etiam diligenter ostendit, vnumquemque teneri, vbi commodè fieri potest, Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei; ac proinde id præterea statuit, à Parochis, animarumuè Curatoribus inter Missarum solemnia aliquid ex ijs, quæ in Missa leguntur, exponi, & Sanctissimi illius sacrificij mysterium aliquod explanari; plebes sibi commissas salutaribus verbis pasci, easdemque doceri, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; in lege Domini erudiri, & sacra eloquia illius explanari; tùm in vnaquaque Ecclesia parochiali pueros fidei rudimentis instrui. His igitur eiusdem Tridentinæ Synodi Decretis, & veteri salutari exemplo adducti cum Populum Vrbis, Diœcesis, Prouinciæque Mediolanen. nostræ, rebus ad salutem necessarijs instructum, per bona opera ad premium sempiternum perducere summopere in Domino cupiamus; hac nostra mo-

nitione

nitione eos vniuersos, & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ Iesu Christi obsecramus, atq; obtestamur, vt quamuis in suis vicinijs, oppidis, & suburbijs, oratoria, Capellas, aliasuè Ecclesias habeant, vbi Sanctiss. Missæ sacrificio interesse possint, frequenter tamen Dominicis saltem, alijsq; solemnibus festis diebus ad suam quique Parochialem Ecclesiam conueniant: vbi à Parocho, cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, alijsq; animarum saluti necessarijs præceptis erudiantur, ad Sanctissima Sacramenta religiosius percipienda instruantur, ad eorundemq; frequentem vsum, vt illa Sacra Synodus optat, paternis eius cohortationibus, in dies magis inflammentur; tùm ab eodem item audiant, qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quę vigiliæ, ieiuniauè seruanda sint, discant ab ipso, item quæ Christianæ pietatis officia, in illis religiosè colendis præstari oporteat; ac quæ præterea supplicationes, processionesuè, aut stationes, Orationes, Indulgentiæ, Iubilea indicantur; quæ matrimoniorum denunciationes fiant; quæ quæ itē pro ratione temporum admonitu, iussuuè Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur. His, atque adeò alijs fructibus, qui ex paternis Parochi, vel in cohortando, vel in monendo officijs existunt, eos carere continget, qui ad Missam ijs diebus in suam Parochialem Ecclesiam non conueniunt. Immò verò quòd hoc audiendæ illis diebus Missę Parochialis munus à fidelibus minus diligenter præstatur, & à quibusdam planè negligitur, multa incommoda inde existunt. Hinc in plerisq; sæpè fidei articulorum, & Dei, sanctæq; Matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet, imperitia, festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non exculta, non cognita Christiana familiarum institutio, languescens Sacerdotum Parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus, sanctissimorum institutorum, & sacrorum Canonum violatus vsus: hinc denique in Ecclesijs Parochialibus, quæ à maioribus tanto pietatis studio exedificatæ sunt in-

stauran-

ſtaurandis, ornandis, ſartis tectiſque habendis cura, multis ex partibus neglecta, in illiſque nulla, aut penè exigua Eccleſiaſtica ad diuina officia obeunda neceſſaria ſupellex. His tot, tantiſq; malis, atque incommodis vnuſquiſque occurrere ſtudeat, id diligenter exequendo, quod Sanctorum Patrum ſuadet auctoritas, quod Tridentina Synodus moneri iubet, quod ex illius iuſſu Nos de vniuſcuiuſque veſtrũ ſalute ſolliciti paternis vocibus cohortamur, & monemus in Domino. Nec verò quemquã aliquod, vel ex Parochialis Eccleſiæ aliqua diſtantia, vel ex pluuia, frigore, æſtu, temporumuè viciſſitudine exiſtit incommodum ab hoc officio deterreat: Immò verò ad illud diligentius exequẽdum, prout in Domino confidimus, ſe quiſque eorum accendat neceſſe eſt; qui ſalutis ſuæ memores huius rei grauitatem, eorum, quæ commemorata ſunt, ratione perpendent, quique aliquando ſecum animo reputabunt, non ſolum Parochialem Eccleſiam ſibi datam eſſe, in qua primum baptiſmo ſuſcepto Chriſto Domino renati, aliјs Sacramentis aluntur ad perpetuam ſalutem; ſed Parochum etiam Sacerdotem ſibi loco parentis eſſe debere, quem diligant, colant, atque obſeruent; hoc ſibi proponentes, illum pro fidelibus ſibi commiſſis apud Deum internuncium, ac deprecatorem eſſe, diuinæ legis interpretem, diſpenſatorem myſteriorum Dei, Chriſtianæ vitæ, & morum diſciplinæ magiſtrum, à quo omne petant piè, rectèque agendi conſiliũ, ac denique miniſtrum omnium fere, quę ad ſalutem eis neceſſaria ſunt. Huic autem noſtræ monitioni, & ſi omnes pro præcipua ſuæ ſalutis cura audientes eſſe debent, in primis tamen patres familias, tutores, ludimagiſtros, cæteroſque aliorum moderationi, curationiuè præfectos cohortamur, diuinaq; conteſtatione admonemus, vt de ſua, & aliorum quorum curam gerunt ſalute ſolliciti, primum ipſi hæc paterna monita amplectãtur, tum illos etiam crebris cohortationibus, ad illa exequenda inflamment, idque curent, ut non ſolum Miſſæ, & diuinorum officiorum tempore, illi in Parochialẽ Eccleſiam conueniant: uerum etiam, ut inſtitutas, in ea Doctrinæ Chriſtianæ ſcholas, ſtatis illis diebus frequentent.

Cum Ecclesię alicuius Parochialis eiusque Rectoris necessitati Episcopus primitiarum, decimarumque assignatione, aut Parochialium symbolis, collectisuè prouidendum esse ex Decreto Tridentino censuerit, ad id præstandum illos ex eiusdem Tridentini, & Prouincialis Decreti præscripto compellat, propositis arbitratu suo pœnis, & censuris, atq; etiam interdicto generali, præsertim vbi ipsi Parochiales id præstare promiserint, spoponderintuè.

Quò instructiores in suis officijs Parochi sint, ob eamq; rē diligentiores: cura Metropolitani sit, vt quemadmodū canone Toletano pscribitur, officiorū parochialiū liber cōficiatur, atq; emittatur ad cōmunē parochorū Prouincialiū vsum.

Litteræ quòd Regulares non possint absoluere confitentes à casibus Episcopo reseruatis.

Illustriss. & Reuerendiss. Domine.

CVM à sacra Congregatione Cardinalium, qui Præpositi sunt Decretis Tridentini Concilij interpretandis, Illustrissima amplitudo tua quæsiuerit, an Regulares ex Priuilegijs à Sede Apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnū, possint in ijs casibus, quos sibi Episcopus reseruauit, absoluere cōfitentes: hac de re vbi Cōgregatio accuratè egisset, deinde ad Sāctissimum D.N. retulisset, illius Sanctitas etiam de sententia Cōgregationis cēsuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliauè Priuilegia Regularibus cōcessis factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimæ Amplitudini tuæ perpetuā vitę tranquillitatē, & incolumitatem largiatur. Romæ die 10. Septembris 1572.

Illustriss. & Reuerendiss. Amplitudinis tuæ.

Humillimus seruus Philippus Boncompagnus
Cardinalis S. Sixti.

A tergo

All'Illustriss. & Reuerendiss. Sig. mio osseruandiss. Monsig. Il Cardinale Borromeo.

CATA-

DECLARATIO DECRETI,

Quo prohibetur absolutio à Casibus reseruatis.



DITVM fuit aliàs à Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Decretum super absolutione à casibus reseruatis, eius, qui sequitur tenoris. *SACRA Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, iustis, & grauibus causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D. N. CLEMENTIS PAPAE VIII. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam secularibus, quàm Regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcunque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum, sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel specificè scripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apostolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus secularium, aut singularibus personis, seu aliàs quomodocumque sub quibusuis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ad cuiusuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusuis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusue Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam à Casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum sibi reseruabunt,*

nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, & speciali Sanctitatis Suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantùm reseruatos, respectiuè, impetrata inscriptis licentia, Ordinarijs locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat, sed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimosq; Iudices suos accedere consulant; sub pœna contrafacientibus tam Regularibus, quàm secularibus, excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcumque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque vlla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatioue, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impartiri: Sanctitas enim Sua (quatenus opus sit) facultates, & concessiones ipsas in hac parte vti cassas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscunque.

Præterea nouerint pœnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra huiusmodi probibitionem, esse nullam, nulliusq; roboris, & momenti.

Et ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reseruandorum casuum competit, plurium, quàm opus sit, reseruatione, subditis, aut Confessarijs in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, vt paucos, eosq; tantùm, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumq; sibi creditarum salutem, pro cuiusuis Diœcesis statu, & qualitate necessariò reseruandos esse iudicauerint, reseruent. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ die 9. mensis Ianuarij Anni 1601.

Cum autem dubia quædam ac difficultates circa eiusdem Decreti interpretationem atq; obseruationem emersissent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatiue locus relinquatur, & vt clarius appareat, in quibus casibus vigore eiusdem Decreti reseruatis, intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato eiusdem S. D. N. Clementis Papæ VIII. similiter viuæ vocis oraculo super eare habito, ipsum Decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet Sub eiusdem prohibitione illos tantùm in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea: Violationis immunitatis Ec-

elesiasticæ in terminis Constitutionis fœl. rec. Gregorij XIIII. quæ incipit : Cum aliàs nonnulli. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem fœl. rec. Gregorij Papæ XII. incipientem : Ad tollendum. Inijcientium violentas manus in clericos, iuxta Canonem : Si quis suadente &c. xvij. q. 4. ac iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pęna inhabilitatis audien. confessiones eadem Sacra Congregatio vult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere : Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam seculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante idem Decretum, receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantùm, & non alius absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis : alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, vt non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & grauiorum criminum absolutionem sibi reseruent, quorum reseruatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat : ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctata potestate S. Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta, contentos, neq; alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos. Facultatem verò, & licentiam absoluen. a casib. reseruatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Cęterum ne quis Sacerdotum

secularium, aut Regularium, sub prætextu, quod per primum dictum Decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus priuilegijs derogatum, eidem Decreto, sic vt præfertur declarato, contrauenire audeat, Sanctitas Sua Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis omnibus, in fauorem quorumcunque Ordinum seu institutorum Regularium, aut Sacerdotum tam secularium, quàm Regularium editis, necnon eorundem Ordinum, seu institutorum, ac etiam Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum secularium, seu Regularium locorum quorumcunq; etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinib. priuilegiis quoq; indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis eisdem Ordinib. seu institutis, ac etiam Ecclesiis, & Monasteriis, & secularibus, seu Regularibus locis, aut personis sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentib. pro expressis habentes, quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogat, contrarijs quibuscunq; non obstantibus. Romæ die xxvj. Nouembris. M. D C I I.

Alex. Card. Floren. Episc. Prænestinus.

Hier. Agucchius Secret.

S A N-

S.mi D. N.

D. CLEMENTIS

Diuina Prouidentia Papæ. VIII.

CONSTITVTIO.

Super modo, & forma per quoscumq; Regulares Ordines, Religiones, Instituta, seu Archiconfraternitates, & Congregationes secularium, tam Vrbis, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum, in Erectionibus, Institutionibus, & Aggregationibus Confraternitatum, & Congregationum, & communicationibus Priuilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, aliarumq; spiritualium gratiarum, & Indultorum eisdem Confraternitatibus, & Congregationibus faciendis, in posterum obseruanda.

CLEMENS. PP. VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



Væcumq; à Sede Apostolica ad promouendam Christifidelium salutem aliquãdo concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaq; prudentia, & cautione sancita, & decreta sint, tamen cùm Romanus Pontifex de animarum salute solicitus progressu temporis animaduertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis, & decretis obseruandis prouenire; debet pro sui Pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio, prouidere. Cum itaq; à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & forsan etiam à Nobis nonnullis Regularibus ordinibus, Religionibus, & institutis, ac etiam Christifidelium secularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diuersarum Nationum, no-

minum,

minum,& institutorum, tam in Alma Vrbe nostra, quàm in aliis Ciuitatibus,& locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi, & instituendi in eorum, & aliis Ecclesiis & Collegiis, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Vrbe,& in alijs eis existentes, eisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta sibi concessa respectiuè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus faciendis seruari debeat; propterea siue negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, & Institutorum, vel officialium Archiconfraternitatum,& Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium,& communicantium, quæ Confraternitatibus,& Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, indulgentiarum, aliarumq; gratiarum prædictarum fiunt, non seruant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus seruari debitam, neq; præscribunt modum, quo priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant; seu ipsarum Confraternitatum, & Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet, vt illa consequantur, nonnullæ prauæ consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde prouenerunt, quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicæ solicitudinis officio, paternaq; erga omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura decernimus, atq; statuimus, vt in posterum tam huius Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum totius Christiani Orbis Regularium, Ordinum, Religionum,& Institutorum, quibus in eorum, & quibuscúq; aliis Ecclesiis & Collegiis Confraternitates secularium erigendi & instituendi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum cuiusuis Nationis, nominis, & instituti illæ sint, & in quibuscumq; Ecclesiis, Domibus,& Oratoriis, tam secularium, quàm vt præfertur

tur

tur quorumcũq; , etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Institutorum Regularium, quauis tam Ordinaria, quàm Apostolica auctoritate erectæ, ac institutæ existant, seu aliàs quouis modo introductæ reperiantur, quibus alias Confraternitates, & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi & communicandi potestas à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel à Nobis, & Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, & alii Officiales, seu Superiores quouis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, & Institutorum vnam tantum Confraternitatem & Congregationem de consensu tamen Ordinarii loci, & cum literis eius testimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ, & instituendæ pietas & christianæ charitatis officia quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum & quibuscũq; aliis Ecclesiis & Collegiis erigere, & instituere, ceterarum verò Archiconfraternitatum & Congregationum in singulis Ciuitatibus, Oppidis, vel locis vnam etiam Confraternitatem, & Congregationem dũtaxat, quæ Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati & Congregationi eiusdem, vel alterius Nationis, nominis, & instituti aggregata sit, præuio similiter loci Ordinarii consensu, & cum eius literis testimonialibus, quibus eiusdem Confraternitatis & Congregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere consueuit, apud eos commendentur, sibi adiungere, & aggregare possint: Huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ ea tantùm Priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in specie, non autem quæ per extensionem,

nem,

onem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicare valeant. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & Institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium edita Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, & aliorum prædictorum fiūt, impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant. Insuper volumus, & ordinamus, vt prædicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, necnon Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, & communicandi formulam à Nobis nouissimè approbatam diligenter obseruent, secundùm quam Priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus nominatim, & expressè, non autem per communicationem, neq; ad instar, vt supra concessa, ipsis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possint, quibus Confraternitates, & Congregationes eiusdem dumtaxat Nationis, & nominis, Ordinis, Religionis & Instituti, Archiconfraternitatis, & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quàm in posterum aggregandæ vtantur, potiantur, & gaudeant, ita vt dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, & Officiales, & alij supradicti priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta huiusmodi, præuia tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de eiusdē
Eccle-

Ecclesiæ Capitulo, illa iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant: quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis eleemosynas, & alia oblata Christianæ charitatis subsidia, iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt, excipiendi potestas detur. Atq; hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, tàm Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum quorumcumque, iuxta modum à Vicario Vrbis, & ab Ordinarijs locorum respectiuè præscribendum, obseruare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quàm Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios vsus arbitrio eiusdem Vicarii nostri in Vrbe, necnon Ordinariorum locorum respectiuè fideliter exponere, atq; erogare procurent, vt omnes intelligant cœlestes Ecclesiæ thesauros, non quæstus, aut alicuius lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apostolicæ Sedis benignitate, Christifidelibus aperiri. Præterea volumus, vt Confessarii, qui vigore priuilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus, & Congregationib aggregandis cõmunicandorũ pro tẽpore eligi possunt, & poterunt, seculares scilicet in Alma Vrbe à prędicto nostro Vicario, extra Vrbẽ verò à locorũ Ordinariis; Regulares aũt non solũ à prędicto Vicario nostro, & à locorũ Ordinariis respectiuè, sed ẽt a suis Superiorib. approbati sint; atq; Confratres confitentes à criminib. casibus, & censuris, iuxta dictorum priuilegiorũ (quatenus tñ sint in vsu, & sacris Conc. Trid. decretis, ac Romanorũ Põtificũ

Pontificum Prædecessorum nostrorum,& nostris Constitutionibus non aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint) formam,& tenorem dumtaxat absoluere valeant. Decernimus insuper, vt ijdem Confessarij prædictos Confratres cuiuscumq; gradus, status, conditionis,& præeminentię, etiam si speciali nota digna fuerint, a casibus contentis in literis, quæ die Cœnæ Domini legi consueuerunt, necnon violationis immunitatis,& libertatis Ecclesiasticæ;& clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria,& vrgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa,& licentia concessa abutentes prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus iniectionis in Clericum,& singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus tam a Nobis, quàm a prædicto nostro in Vrbe Vicario,& locorum Ordinariis respectiuè reseruatis,& pro tempore reseruandis,& etiam à quauis excommunicatione ab homine lata absoluere,& super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus, quàm occasione delicti contractis cũ aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint. Demum statuimus,& pariter ordinamus, vt Confraternitates,& Congregationes vbiuis locorum, quauis auctoritate, vt præfertur, erectæ,& institutæ,& quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuicunque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus,& Congregationibus vbilibet existentibus hactenus aggregatæ, ab eisdem respectiuè Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus,& Congregationibus nouas erectionũ, Institutionum, Communicationum,& Aggregationum literas, iuxta formam à Nobis nouissimè approbatam, infra annũ, si in Europa sint,& si extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur: alioquin, dicto tempore elapso, Erectiones, Institutiones,& quæcunq; Communicationes priuilegiorum, facultatum, Indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum,& indultorum,& Aggregationes illarum vigore ipsis concessæ nullius sint roboris,& momenti, ac reuocatæ,& abolitæ censeantur eo ipso. Erectionum autem,

Institu-

Institutionum, communicationum,& Aggregationum, tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum literæ ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus,& Congregationibus gratis omninò, ac nulla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta, expediri,& concedi debeant. Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumq; nomine nuncupati Ordinum, Religionum, Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum,& Confraternitatum huiusmodi, quauis auctoritate, vel priuilegio,& officio fungantur, & præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, Erectiones, Institutiones,& communicationes Priuilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, spiritualiumq; gratiarum,& Indultorum, aliorumque præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renouandæ nullius sint roboris,& momenti,& quilibet eorundem Ministrorum, Superiorum, Officialiũ, & aliorum prædictorum priuationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa,& alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio, quàm à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso. Decernentes præsentes literas perpetuò ualidas,& efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari debere, sicq; nostræ mentis, & intentionis existere,& ita, & non aliter per quoscunq; Iudices ordinarios,& delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate, iudicari,& diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die septima Decembris 1604. Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

M. Vestrius Barbianus.

DECHIARATIONE, E MODIFICATIONE dell'Editto di Monsig. Reuerendiss. Tauerna nostro Precessore, circa l'andare à Monasterii di Monache, confirmato da Noi, nella nostra Sinodo.

F. MICHEL'ANGELO SEGHIZZI,

Per l'Iddio gratia, & della santa Sede Apostolica, Vescouo di Lodi, & Conte, &c.

TOSTO che venessimo al carico di questa nostra Chiesa, con Editto publico confirmassimo tutto quello che dalla f. m. di Monsig. Reuer. nostro Precessore, era stato ordinato, massime circa l'andare à Monasterij di Monache sotto pretesto di visita, ò d'altro, Ilche habbiamo anco fatto con Decreto particolare nella Nostra Sinodo, & essendo ben ragioneuole, che ogn'vno sappi distintamente, quale sij l'obligo suo in questo particolare; ci siamo rissoluti hora di palesare la mente, e l'intelligenza Nostra, con questo nostro publico Editto, quale vogliamo che affisso alle porte della Nostra Cathedrale, & altri luoghi soliti, leghi ogn'vno quale sia tenuto all'osseruanza di esso; Comandiamo donque à ciascuna persona tanto Secolare, quanto Ecclesiastica, alla Nostra giurisdittione soggetta, sotto pena di Scommunica maggiore da incorrersi ipso facto, la cui assolutione riseruiamo à Noi, che per l'auenire nissuno ardisca di andare à qual si voglia Monastero di Monache, benche essenti, & iui nè alla grata, in parlatorii, nè alla

alla Ruota, ò porta, ò ferradino ragionar con qual si voglia Monaca, senza licenza Nostra, ò del Nostro Vicario Generale in scritto, per ciascuna volta, eccettuando da questa pena, i Padri, Madri, Fratelli, e Sorelle, quali possano parlare alle loro figlie, e sorelle Monache, & alla Madre Abbadessa, e non ad altre, così al ferradino possino andare i seruitori è serue delle parenti delle Monache, & i Marzari e simili, come anco i loro Agenti, Procuratori, & Auuocati, & altri parenti di Monache, per breue tempo però, mà chi non è parente, non vi si accosti, sotto l'istessa pena, e chi vorrà commettere qualche lauoro à Monache, non possi trattare eccetto con l'Abbadessa, Portinare, e Maestra del lauorerio, auisando che senza licenza sottoscritta da Noi, nissuno nostro suddito può entrare in qual si voglia Monastero di Monache, benche essente, nè per qual si voglia occasione, ò colore, sotto l'istessa pena; sapranno in oltre i Regolari, come dalla sacra Congregatione sopra i negotij de Vescoui, e Regolari, oltra le pene temporali, positiue, e priuatiue, anco è stato dichiarato, che incorrano il reato di peccato mortale, quelli Regolari, che vanno senza licenza à Monasteri, e parlano con Monache, però essortiamo tutti ad hauersi cura, & à non trasgredire questo ordine Nostro, per schiuare le censure, & altre pene.

Dat. in Lodi nel nostro Palazzo Episcopale li 8. Agosto 1619.



CATALOGVS

Sanctorum, & Beatorum Laudensium.

PRIMI ORDINIS.

Eorum scilicet quorum memoriam in Calendarium relatam, duplicis etiam Officij ritu celebramus.

PATRONI.

S. BASSIANVS, cuius festiuus dies solemniter sanctificatur 14. Calen. Februarij.

S. ALBERTVS, cuius festiuitati solemniter consecrata est Dominica secunda Iulij.

MARTYRES.

S. Daniel, cuius celebritas festiuè colitur fer. 4. post Ressurrectionem Domini Nostri *Iesu* Christi.

SS. Nabor, & Felix, quorum memoria celebratur, die 12. Iulij,

SS. Iulianus, & socij, quorum memoriam veneramur, die 24. Iulii.

EPISCOPI.

S. Titianus, qui die prima Maij in pace quieuit, sed eius memoriæ sanctus cultus tribuitur, die 4. Maii.

S. Iulianus, cui dicata est dies 12. Octobris.

S. Iohannes Episcopus Eugubinus, ad cuius cultum institutus est dies 2. Septembris.

CONFESSORES.

S. Clemens Presbiter, cuius diem sanctum habemus 4. id. Octobris.

S. Gualterius Frater Hospitalaris, cuius habemus depositionem die 22. *Iulii*, sed transfertur officium ad diem 27. eiusdem mensis.

MATRONA.

S. Sauina ex familia nobili de Tressenis, cuius memoriam colimus die 30. *Ianuarii*.

Horum vitam compendiosè scripsit F. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

SECVNDI ORDINIS.

MARTYRES.

S. Bonomus.
S. Philippinus.
S. Bertazzinus.
} *Ex tabulis Ecclesiæ Christi Seruatoris, Brixiæ.*

EPISCOPI.

S. Genebardus.
S. Desiderius,
} *Ex Iohanne de Nigraualle in Epilogo Chronicorum, Epil. 13, cap. 18, nu. 4. & 266.*

S. Cyriacus.) *Ex manuscriptis Ecclesiæ S. Petri Laudæ Veteris. De eodem etiam S. Eusebius Mediol. Episc. in Epistola Synodali ad S. Leonem 1. Pont. memoriam facit.*

TERTII ORDINIS.

Beatus Leo de Palatinis Episcopus Laudensis, Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci. Ex Historia Reuerendissimi Gonzagæ, parte secunda.

B. Iohannes à Lauda, Ordinis Minorum Conuentual. S. Francisci, eiusdem Sancti contemporaneus, & adeo familiaris, vt lateris eius sacerrimam plagam tangere meruerit. Ex tabulis Fratrum Minorum.

B. Antonius de Gauatijs, Ord. Min. S. Francisci de Obseruantia. Ex Chronicis S. Francisci, parte tertia lib. 7. cap. 44. Eius corpus apud Ecclesiam S. Iohannis extra muros.

B. Amicinus à Lauda, eiusdem Ordinis Minorum de Obseruantia. Ex antiqua inscriptione ad eius imaginem posita, aliàs in Ecclesia Parochiali Massalenghi.

B. Michael de Carcheno, Ordinis Minorum de Obseruantia,

cuius corpus asseruatur in Ecclesia S. Francisci Laudæ. Ex tabulis Fratrum Minorum, & etiam ex Bernardino Corio, sub anno 1467.


B. Calimerus de Monteclaro, Ordinis Prædicatorum, cuius corpus asseruatur in Ecclesia S. Dominici Laudæ. Ex Historia Reuerendi Patris Michaelis Piò.

B. Iacobus Oldus, tertii Ordinis S. Francisci: Ex actis Curię Episcopalis Laud. Extat eius antiqua imago in Ecclesia S. Francisci Laudæ, corpus vero in Ecclesia S. Aegidii tumulatum conseruatur.

B. Bruna de Vercellis, Ordinis Humiliatorum. Ex antiquo Missali eiusdem religionis. Asseruatur eius corpus in Ecclesia Monialium S. Benedicti Laudæ.

B. Constantia de Ricardis de Laude, Monialis Ordinis Minorum de Obseruantia S. Francisci. Adest eius imago cum inscriptione in Ecclesia Monialium S. Claræ Nouæ.

B. Lucretia Cademusta, tertii Ordinis S. Dominici, cuius corpus asseruatur in Ecclesia S. Dominici Laudæ. Ex Historia Reuerendi Patris Michaelis Piò. De hac etiam Thomas Bozius Eugubinus, libro de Signis Ecclesiæ Dei, tomo primo, signo 57. & alii.



TA-

TABVLA EPISCOPORVM SANCTÆ LAVDEN. ECCLESIÆ,

quorum nomina hactenus magna adhibita diligentia reperiri potuerunt.

S. IVLIANVS post Diocletiani, Maximianiq; sæuissimam Ecclesiæ persecutionem, Laudensis Episcopus designatus anno Domini 305. *Ex monum. Ecclesiæ S. Petri Laudæ Veteris.* Sedit annos 18, menses 8, dies 19. Aetatis vero suæ 82. migrauit ad Dominum. *Ex illius epitaphio*: De eo Fr. Filippus Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, sub die 12. Octob. Corpus in Cathedrali religiosè colitur.

DIONYSIVS floruit temporibus Constantis Constantini Magni Imperatoris filij. *Ex Apologia D. Athanasij ad Constantium Augustum eius fratrem*, relata in Annal. Baron. tomo 4. sub an. 346.

S. GENEBARDVS. cuius meminit Iohan. de Nigraualle S. R. E. Bibliot. libro qui inscribitur Epilogus Chronicorum, epil. 18. c. 18. num. 9.

S. BASSIANVS patria Syracusanus, Laudensium Patronus; de quo S. Ambrosius in Epistolis. Paulinus in Vita S. Ambrosij. Mombritius. Petrus de Natalibus, & Ferrarius in Catall. Hieronymus Rubeus in Hist. Rauen. Baronius, & Galesinius in Martyroll. sub die 19. Ianuarij, & alij complures. Anno 377. à Clero, & populo Lauden. diuino monitu acclamatus Episcopus. Consecratus an. 378. 1. Ianuarij. Ecclesiam ad honorem SS. Apostolorũ ab eo extructam an. 380. vnà cũ S. Ambrosio Mediolanensi, & S. Felice Comensi Episcopis consecrauit; quæ hactenus extat ab

eiusdem nomine dicta. Concilio Aquileiensi interfuit, & subscripsit an. 381. vnà cum S. Ambrosio, cuius etiam funeri adfuit an. 397. Ipse verò plenus dierum, & virtutum an. 413. ætatis suæ 90. sanctitate, rebusq; gestis, ac miraculis clarus, obdormiuit in Domino xiv. Cal. Feb. Eius sacrum Corpus imperialibus humeris à veteri ad nouam Ciuitatem translat. an. 1163. 4. Nouemb. ex Chron. Murenæ, Corio, & Baronio, & Sigonio.

S. CYRIACVS subscripsit Epistolæ Synodali S. Eusebij Mediolanensis Episcopi, cui Concilio interfuit sub S. Leone I. Pont. an. 454. quocum eiusdem Conc. nomine fusius egit. Ex Epistola prædicta, in Conciliorum vol. 2. Fuit doctrina, & sanctitate clarus. Ex Galesinio in Martyrol. ad memoriam S. Bassiani. Eius corpus in Aede S. Petri Laudæ Veteris. Ex manuscr. eiusdem Ecclesiæ, & eius epitaphio. Eo sedente Attila Hunnorum Rex, inter alias Galliæ Cisalpinę vrbes an. 452. Laudem Pompeiam militari populatione subuertit. Sigon. De Imper. Occid. lib. 13.

S. TITIANVS è Germania oriundus. Ex Vairano, De rebus Ecclesiæ prædictæ S. Petri. Vixit ann. 55. magnæ vir sanctitatis, & doctrinæ. Ex eius epitaphio, quod aliàs in eadem Ecclesia S. Petri legebatur, vbi eiusdem etiam venerandum corpus dicitur asseruari. Decessit an. 477. Cal. Maij. De eo Ferrarius qui supra, sub die 4. Maij. Hoc eodem anno Odoacer Erulorū Rex, haud procul Laude Pompeia, cum Oreste Augustuli Imperatoris genitore congressus, insignemq; victoriam reportans, Occidentis dominationem inuasit. Blondus in Italia illustrata, Pigna in Hist. Estensi.

Hic temporum iniuria, & scriptorum incuria multorum nomina interciderunt, annis circiter centum.

VENANTIVS, de quo S. Gregorius ad Constantium Epm. Mediol. in Registro lib. 3. epistola 22. creditur fuisse Eps. Lauden. quid quid dicant seu argumentorum auctor, seu is, qui in textu, *Lunensium*, pro, *Laudensium*, legisse videtur, nam Laudenses quidem, non Lunenses ad Constantium aliquo iure, de quo meminit Greg. pertinebant. Vixit circa an. 594.

S. DESIDERIVS. Ex prçcitato Iohanne de Nigraualle lib. eodem, c. eodem, num. vero 266. Canonicus Regularis.

DO:

DONATVS subscripsit, Agathone Pontifice, Constantinopolitanę œcumenicę Synodo vi. an. 680. Conc. Prouin. sub S. Mansueto Episcopo Mediolanensi præsens. Ex actis dicti Concilij apud Surium, tomo 3. Vixit doctrina, & sanctitate conspicuus. Ex Galesinio loco citato; temporibus attamen maximè calamitosis. Bellarminus in Chronol. & alij.

Hic pariter multi desunt, centum ferè, & quinquaginta annorum spatio, monumentorum defectu.

RAILETVS vixit temporibus Gregorii PP. iiij. & Ludouici I. cognomento Pii, Imperatoris, à quo obtinuit, vt Ecclesia S. Petri, quæ erat antiquitus Canonica, in Monasterium erigeretur S. Pont. annuente, & clericis eiusdem Basilicæ ita postulantibus, quam etiam idem Imperator, amplissimis inde prædiis attributis, locupletauit, anno 832. Vairanus qui supra.

ARIBERTVS. De hoc agitur in Hist. Veronen. Hieron. de Curte, nec non in Chron. Cancellariæ Capli Cath. illius Ciuitatis, sub an. 837. Vir consilio, & prudentia spectatissimus, ob idq; à Lothario Imperatore in magnis, atq; arduis negotiis, inter cæteros, adhibitus.

GERARDVS interfuit, & subscripsit Conc. Ticinen. Iohanne 8. S. Pont. an. 876. Sigon. De Regno Italiæ, lib. v. Morum, & disciplinæ restitutor.

ZILIVS (aliàs Aegidius) Vignatus, Laudensis. Huius mentio in instrumento, quod est penes equitem Io. Baptistam Vineatum, rog. per Gualterium Abonum Not. Lauden. an. 924. Genere, & opibus insignis.

OGGLERIVS. Ex Gabiano lib. 3. Laudiados. quibus speciatim annis vixerit non satis exploratum.

ANDREAS clarus multis nominibus Episcopatū gessit; neq; .n. solum Ecclesiam hanc suis, verum etiam summorum Principum beneficiis cumulauit; pręsertim vero Othonis Magni Imperatoris, & Arduini Italię Regis. Ex archiuio Epali. Eo sedente, nempe an. 1002. Conc. Prouinc. ab Arnulpho Archiepiscopo Mediol. Laudæ indictum, in quo, ad præscriptum D. Gregorii, Henricus primus est

Imperator designatus. Sigon. De Regno Ital. libro 8.

NOKERIVS natione Teutonicus, cuius opera Anselda Comitissa Ghysalbæ insigne Monasterium, siue Abbatiam, S. Stephani Cornu Veteris, erexit, & dotauit, an. 1009. Ex archiuio Monialium SS. Cosmæ, & Damiani.

OLDERICVS in locum suprascripti à Clero Laudensi suffectus, an. 1025. eodem anno cum Mediolanensibus decertans, pro tuendis Ecclesiæ suæ iuribus ferro occubuit. Ex Annal. Cremonen. Lud. Cauitelli an. suprad.

AMBROSIVS Arlunus Mediolanensis, antea Canonicus Ordinarius Metropolitanę eiusdem Ciuitatis, an. suprascripto ab Eriperto Archiepiscopo renuntiatus Episcopus Laudensis, iuxta prætensum priuilegium à Conrado Imperatore obtentum, vi armorum Ecclesia potitur. Besutius Hist. Pont. Mediolanen. Cauitel. & Sigon. ll. cc. Cæterum vir summa virtute, singulariq; prudentia præditus, atq; de hac Ecclesia optimè meritus, eo s.n. sedente Rolinda, comitis Ilderandi vxor, insigne castrum S. Viti, & aliud Castioni, in Laudensi Diœcesi, cum eorum pertinentijs, mensæ Episcopali donauit, an. 1044. Ex archiuio Episcopij.

OBIZONVS. }
FREDENZONVS. } Ex eodem archiuio.
RAINALDVS. }

Episcopi minus legitimi, iuxta illorum temporum prauitatem.

ARDERICVS è supradicta Vincatorum familia Laudensi ea sapientia præditus fuit, vt in secundis rebus summam eius temperantiam, in aduersis miram constantiam omnes laudauerint; & præsertim eo tempore, quo Laus Pompeia antiqua, an. MCXI. primùm fuit à Mediolanensibus deuastata. Acta hic trium præcedentium Episcoporum, instante Clero, populoq; Laudensi, an. 1117. rescindi, atque abrogari curauit. Ex tabulario Epali, & Caplari.

ALLO. } Ex archiuio Monialium Sanctæ Claræ Ve-
VVIDO. } teris.

Horum Episcoporum, præter nomina, nihil memoratu dignum ad nos peruenit.

IO-

IOHANNES electus an. 1139. Obijt 1143. Iurium Ecclesiæ Lauden. assertor vigilantiss. Ex archiuio Episcopali: in quo ad hæc vsq; tempora, extat sententia quædam Robaldi Mediolanen. Archiepiscopi lata an. 1140. de mense Ian. ad eius fauorem, pro Monasterijs Præcipiani, & Sauinionis, contra Petrum Terdonensem Episcopum; dictata, & subscripta per Galdinum Mediolanensis Ecclesiæ Cancellarium, qui postea fuit Archiepiscopus, Cardinalis de latere Legatus, & in SS. numero cooptatus.

LANFRANCVS Lauden. ex Comitum Cassinatum familia, Ciuitatis veteris vltimus, & nouæ primus Episcopus. Qui solemnem legationem ad Vbertum Pirouanum Mediolanensem Archiepiscopum, nec non ad Summi Pont. Legatos Ardicionem, & Othonem S.R.E. Cardinales suscepit; vt vrbis nostræ (matris eiusdem, ac filiæ) imminentem cladem, vltimumq; excidium auerteret, sed in cassum. Murena, Sigon. & alij. Quapropter paucos post dies, publicis ærumnis confectus, vrbe tamen restituta, in pace quieuit, an. 1158. de mense Augusti. Vir singulari pietate, & consilio ornatus.

ALBERICVS Laudensis ex proceribus de Merlino, ann. 1158. fauente Friderico 1. Imperatore, è Canonico Episcopus patriæ factus, vrbem tumultuario opere munitam lapideo muro, monente eodem Friderico, cingi curauit; primumq; lapidem in fundamento portæ Cremonensis posuit. Partes deinde Victoris, & postmodum Paschalis schismaticorũ Pontificum, contra Alexandrum III. sequutus, à Clero Lauden. dignitate priuatus, exul à patria, in Carrariæ oppido obsessus, animam egit. Militari potius virtute, quàm animi religione, & pietatis laudibus commendatus. De eo Murena Chronographus Lauden. quem Corius, Sigon. Baron. & alij secuti sunt.

S. ALBERTVS de Quadrellis, Ciuitatis Protector, in oppido Ripaltæ Glareæ Abduæ natus, à Clero Lauden. in Merlini locũ suffectus an. 1168. 29. Martij. Non. inde Aprilis Episcopatus possessionem solemni ritu est adeptus, magno populi concursu, & Cleri totius præsentia. Ex Murena

Corio,

Corio, & alijs supradictis. Hic inter alia memoratu digna, Consortium Cleri Laudensis instituit an. 1173. Vir eximia sanctitate, & humilitate, miraq; in pauperes charitate præcellens. Eius vitam compendiosè refert Ferrar. in Catal. supradicto sub die 4. Iul. in qua fuit æterna beatitate donatus, an. 1179. Eius corpus multis miraculis illustratum à Ludouico Taberna Antistite ex proprio Altari diruto, sub alio Sanctissimæ Pietatis, iu subterranea Cathedralis parte ritè translatum fuit, an. 1588. excepto capite, quod argento contectum in eius solemnitate exponi consueuit.

ALBERICVS de Cornu Laudensis antea Canonicus Cathedralis, ann. x. Episcopatum rexit; eiusdem Capituli perpetuò studiosissimus. Ex archiuio Capitulari. Ecclesiasticæ libertatis propugnator acerrimus. Ex arch. Epali.

ARDERICVS, cuius cognomen, & patria ignoratur, sedit ann. 28. Capitulum Cathedralis, cuius antea Canonicus, inde Præpositus fuerat, optimis institutis, ac legibus decorauit anno 1214. quæ in tabulario eiusdem Caplii custodiuntur, manu eius propria, nec non Canonicorum tunc temporis viuentium, vallata. Extant etiam Innocentij III. epistolæ ad hunc Episcopum datæ, lib. 3. Epistolarum eiusdem S. Pont.

IACOBVS de Cerero Abbas Claraualensis, electus in contentione Episcoporum, perijt antequam consecraretur, ann. 1218. Ex voluminibus pergamenis Episcopij.

AMBROSIVS de Cornu Lauden. nepos supradicti Alberici, è Canonico Episcopus factus, non nisi per paucos menses hoc munere functus, mortuus est enim eodem an. 1218. Ex arch. Epali.

OTTOBELLVS Sufflentinus Lauden. consecratus an. 1219. Defunctus 1242. Episcopatum multo ære alieno obstrictum subleuauit, bona, & iura eiusdem anteactis temporibus vsurpata, atq; deperdita in integrum restituere, mores deprauatos corrigere summopère contendit. Ex archiuio prędicto. Vir pręterea in omnib. prouidus, & discretus, studijs etiam Philosophiæ, eximiaq; probitatę celebris

bris. Ex Vita manuscr. S. Gualterij Confes. Lauden. cuius funeri idem Episcopus vnà cum vniuerso Clero Laudensi, & magna populi frequentia, interfuit. Vacauit sedes ann. x.

BONIOHANNES Fissiraga Lauden. an. 1252. consecratus Episcopus, die 7. April. Pontificalib. indutus Laudem ingreditur, magnificè hilariterq; susceptus. Ex tabulario Episcopali. Ann. 37. in Pontificatu vixit, quo potissimum tempore Antonius Fissiraga, Ciuitatis Rector, templum satis amplum, cum cœnobio, ad honorem D. Francisci, non minus piè, quam liberaliter extruxit. Ex chartis Ecclesiæ S. Nicolai. Extremum diem clausit 8. Id. Octob. 1289. in Aede supradicta D. Francisci sepultus. Ex eius epitaphio. Non minus sua virtute, quam maiorum suorum splendore clarus.

FR. RAIMVNDVS Summaripa Laudensis Ord. Prędicatorum, electus de mense Decembri 1289. Ex antiquo Catal. Episcoporum nouæ vrbis Laudæ manuscripto. Interfuit Conc. Prouin. Mediol. an. 1293. iussu Nicolai IIII. pro expeditione Terrę sanctę coacto. Besutius lib. cit. Anno 1256. animam Deo reddidit. Ex illius epitaphio. De eo Ambrosius Taegius in Monumentis Fratrum Prædicatorum. Leander Albertus lib. 2. Virorum illustrium eiusdem Ordinis. Seraphinus Razius, & Michael Piò in Historijs eiusdem Religionis. Vir omnibus virtutis, sed maximè pietatis laudibus præstantissimus. Quiescit in Aede D. Dominici, quam dudum antea coluerat, maximisq; beneficijs ornauerat.

BERNARDVS de Talente Lauden. è Canonico S. Laurentij an. 1296. Sedem adijt. Hic ad augendum cultum Cathedralis Ecclesiæ, de consensu Capituli, statuit, vt Canonici omnes in posterum personalem residentiam facere tenerentur, sub pœna amissionis redditiũ suarum prebendarum. Legitur hec constitutio in archiuio Capituli, sub an. 1297. tradita per Bassianum Arcellum Curiæ Epalis Cancel. Ciuitatem insuper aquarum inundatione, & Draconis venenoso halitu periclitantem, præcibus ad Deum fusis, & voto publico ad B. Martyrem Christophorum, liberari

liberari obtinuit. Cal. Ian. an. 1306. Ex tabulis Ecclesiæ S. Christophori.

AEGIDIVS ab Aqua Lauden. antea Præpositus S. Laurentij à Capitulo Cathedralis, vt moris erat, electus an. 1307. 25. Iunii, paulò post ab Archiepiscopo Mediolanen. seruatis seruandis, confirmatur. Ex archiuio Episcopali. Coronationi Henrici 7. Imperatoris interfuit an. 1311. die 6. Ianuarii. Ex Besutio, Cauitello, & alijs; à quo postmodum amplissima priuilegia obtinuit, sub die 7. 8. & 11. eiusdem mensis, quæ hactenus in præfato archiuio custodiuntur. Concilio etiam Prouin. Mediolanen. eodem anno, die V. Iulij, Bergomi coacto, præsens. Acta dicti Concilij, Cremonæ impress. Anno vero 1312. de mense Aprilis vitam dimittens, dimisit & sedem.

FR. LEO Palatinus Lauden. Ordinis Minorum, post longum Schisma Alcherij ab Aqua, & Roberti de Vicecomitibus electorum Episcoporum à Capitulo, reiectis supradictis, creatus Episcopus an. 1319. Ex archiuio Capitri. De hoc habetur in libro Conformitatum S. Francisci, in cap. Prouin. Mediolanen. quod, corripiendo suos Clericos, ab eis fuerit fortissimo veneno appetitus, sed in nullo læsus. Et in Hist. Reuerendissimi Gonzagæ Beatus nuncupatur. Iurium Ecclesiæ Lauden. defensor impauidus, licet interdum exulare coactus. An. 1343. 16. Martij immortalitate donatur. Eius corpus in Aede S. Francisci conditũ. Singulari vir doctrina, pariq; vitæ sanctitate præditus.

FR. LVCAS de Castello Lauden. eiusdem Ordinis S. Francisci, integerrima vita, summa pietate, & multiplici eruditione præstans. Consecratus an. 1344. Vita functus 1353. sepultus in Cathedrali. Eius mentio passim in membranis archiuij Episcopalis habetur; in quibus omnibus nouiter, Episcopus, & Comes Lauden. nuncupatur; quem morem postea reliqui successores tenuerunt. Ex quo autem hoc factum fuerit, in Hist. Pont. Lauden. latius patebit.

PAVLVS ex Cademustorum domo Lauden. consecratus an. 1354. Synodum Diœcesanam habuit pro tuendis Ecclesiæ suæ iuribus, ann. 1364. cuius fragmenta extant in archiuio

chiuio Episcopali. Complura bona, & iura mensæ Episcopalis à Brutio, & Barnaboue Vicecomitibus vsurpata, summo studio à Io. Galeatio 1. Mediol. Duce recuperauit an. 1385. Ex prædicto archiuio. Legatione in Pannonia pro Sede Apostolica functus, atq; de hac Ecclesia optimè meritus, in cœlum euolauit an. 1386. depositus in Cathed.

PETRVS della Scala Veronen. an. 1388. Episcopus constitutus, recessit iubente Io. Galeatio supradicto Mediol. Duce, an. 1390. Ex eodem archiuio, Mantuæq; postmodum huius vsurā lucis amisit. A gratia, & terrore æq; inuictus.

FR. BONIFATIVS Butichiella Papien. Ordinis Heremitarum S. Augustini, in Ticinen. Gymnasio Theologus primarius, an. 1393. fauente eodem Io. Galeatio, Eps designatus. Rara singulariq; propemodum virtute, & prudentia præditus. De eo Corius parte 4. & Iouius in vita eiusdem Galeatii. In recuperanda possessione bonorum Ecclesiæ solicitus. Ex archiuio præcitato. Anno 1404. Papiæ supremum egit diem, ibidemq; in Aede S. Augustini humatus, quam plurimis antea, & maximis beneficijs cumularat. Ex inscriptione ad eius imaginem in claustris posita, & eius epitaphio.

FR. IACOBVS Arigonius Lauden. Ordinis Prędicatorū, Sac. Theol. Magister. Primùm Regens studij Bononiensis Conuentus, postmodum Magister Sac. Palatij, & tandem Eps Laudensis renuntiatus. Interfuit Conc. Pisano 1409. & Constantiensi 1414. in quo plures conciones, summa cum laude publicè habuit, vt ex eiusdem Concilij actis colligitur. Iohannem 22. S. Pont. amplius duobus mensibus Laudæ hospitio excepit; cum eodem tempore Iohannes Vineatus, Laudæ Dominus, Sigismundum Imperatorem magnificè hospitaretur; vnde Conc. Constantiense summo omnium consensu, interim Laudæ indictum. 6. Id. Decembris. Vide Bullam intimationis eiusdem Concilij: Huius Epi vitam Ambrosius Taegius, Seraphinus Ratius, & Michael Piò, fratres eiusdem Ordinis, litteris commendarunt; quemadmodum, & Leander Albertus, & Antonius Senensis ex eadem Religione, plura de eo scripsere. An.

1418. ad superos abiit. Insignis Doctor Theologus, magnus Concionator, hæreticorumq; sui temporis potens flagellum.

GERARDVS ex Capitaneis de Landriano an. 1418. in Sede constituitur. Conc. Basileensi an. 1432. interfuit, à quo missus fuit Orator ad Henricum Angliæ Regem. Legitur eius oratio in Conciliorum vol. 4. Translatus ab hac ad Comensem Ecclesiam an. 1437. inde ab Eugenio 4. an. 1439. in Conc. Florentino Card. creatus, & ad Philippum Mariam Mediolani Ducem Legatus de latere missus fuit; in quo munere Capitulum Cathedralis Lauden. duabus dignitatib. nempe Archidiaconatus, & Primiceriatus, siue, vt aiunt, Cantoratus decorauit, an. 1440. Mensæ Epalis redditus auxit. Ex tabularijs Epali, & Caplri. De eo Benedictus Iouius, Mapheus Vegius, Onuphrius Panuinius, & Alphonsus Ciaconius. Anno 1445. 7. Id. Octobris Viterbij è vita exiuit. Sepultus ibidem in Ecclesia S. Francisci Ordinis Minorum. Vir vt honoris dignitate, ita virtutum omnium laudibus illustrissimus.

ANTONIVS Bernerius Parmensis Iur. Vtr. Consultiss. intrauit Epatum die S. Michaelis an. 1437. Auxit Epalem aulam, & pdia; libros, & alia ornamenta Caplo, & Ecclesiæ largitus est, cuius etiam redditus augere summopere studuit; statuta eiusdem Capli reformauit. Ex arch. Epali, Caplri, & Consortij. Parmæ vitam deposuit an. 1456. 29. Maij. Sepultus in Cathedrali eiusdem Ciuitatis, in proprio Sacello ad honorem D. Bassiani dicato, vt ex eius epitaphio.

CAROLVS Marchio Pallauicinus Parmensis an. 1457. de mense Iunij Episcopatum obtinuit. Hic ille est qui supellectili ecclesiastica gemmis, auro, & argento pretiosissima, pretij ex eo vsq; tempore triginta millia aureorum, nunc longe maximi, Ecclesiam liberalissimè cumulauit. Bibliothecam Capituli auxit. Archipresbiteratus dignitatem eidem Caplo quartam adiunxit. Hospitale maius instituit, complurium aliorum huius Diœcesis vnione ad illud à Sede Apostolica impetrata. Pauperes in summa annonæ inopia benignè aluit.

Quorum

Quorum omnium mercedem in cælo capiens an. 1497. Cal. Octob. migrauit e vita. Aetate, & auctoritate grauissimus. Ex oratione Cæsaris Sacci Canonici Lauden. Ex archiuio Capituli, & Hospitalis. Quiescit in castro Monticellorum eius ditionis.

OCTAVIANVS MARIA Sfortia Comes Meltij, Galeatij Mariæ Mediol. Ducis filius naturalis, an. 1498. de mense Feb. electus, crebris mutationibus Mediolanensis dominij variè agitatus, interdum exulare coactus est. Idcirco Claudius Seysellus Aquensis Iur. Vtr. ssimus interpres fauētib. Gallis, Ecclesiā hanc ab an. 1501. vsq; ad an. 1512. auctoritate Apostolica administrauit. Pulsis deinde Gallis, ope Fœderis, cuius legatus erat, in patriam reuersus, totius Mediolani status, vsq; ad aduentum Maximiani Sfortiæ Ducis extitit moderator. Sed breui iterum Gallis ingruentibus de an. 1515. recedere cogitur. Quare an. 1519. cum Hieronymo Sansono Episcopo Aretino, summo Pont. annuente, conuenit, cessionibus reciprocis. Sed denuo fauente Francisco Sfortia Duce Mediolani an. 1527. reuersus, vsque ad an. 1531. Ecclesiam administrauit. Quo tandem tempore, Sansono restituto, priuatam vitam Mediolani, vsq; ad an. 1540. humiliter duxit. Ex Cæsaris Lecami, & Brugatiorum publicis documentis. De eo Franc. Guicciard. in Hist. lib. 17. Lud. Cauitel. in Annal. Cremonen. sub an. 1512. & Petrus Bembus in Eplis lib. 2. & alij. Vir acri ingenio, atq; animi magnitudine præditus, licet fortunæ telis maximè appetitus.

HIERONYMVS Sansonus Sauonensis an. 1519. de mense Decembri ab Ecclesia Aretina ad hanc, vt dictum est, translatus, disciplinam Ecclesiasticam, imminentibus bellis collabentem, omni conatu restituit. Annis xi. pręfuit, nonnullis tamen intermedijs, nēpe ab an. 1528. vsque ad 1533. Decessit an. 1536. Religionis, & pudicitiæ vindex. Ex actis Bass. Brugatij, & Io. Baptistæ Gauatij, Curiæ Episcopalis Cancellarijs.

IACOBVS Simoneta Mediolanen. S. R. E. Cardinalis an. 1536. Ecclesiæ Lauden. Administrator à Paulo PP.

III. pronunciatus, paulò post Ioanni Simonetæ ex fratre nepoti eandem resignauit, dum Vicentiam ad indictam generale Concilium Legatus se conferret. Mortuus est Romæ an. 1539. Cal. Nouemb. & in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio sepultus. Amplissimis Ecclesiæ Dei muneribus singulari prudentia perfunctus. De eo Onuph. & Ciac. in Paulo III.

IOHANNES Simoneta ab an. 1538. vsque ad 1556. Mediolani Senator Laudensem etiam rexit Ecclesiam, quam an. 1540. XIII. Cal. Ian. ex integro consecrauit in honorem Assumptionis B. Mariæ Virginis, & S. Bassiani; eamq; amplissima Sanctissimi Sacramenti Confraternitate instituta eximiè decorauit anno 1548. Ex actis Cancellariæ Episcopalis apud Palearium, sacram etiam eius supellectilem magnopere adauxit. Mediolani an. supradicto 1556. moritur, de mense Decembri. Iacet in Aede D. Mariæ Gratiarum. Recti, æquisti assertor.

IOHAN. ANTONIVS Capisuccus Romanus S. R. E. Card. à Paulo IIII. an. 1557. creatus Episcopus, Scholam Doctrinæ Christianæ instituit an. 1560. Romam deinde auocatus, subsignandis Gratiæ rescriptis à Pio V. præficitur. Eo sedente Sacrosanctum œcumenicum Triden. Conc. necnon Prouinc. primum Conc. Med. à S. mem. Carolo Borromeo, habita, quibus absens per procuratores assensit. An. 1569. Romæ de mense Ian. vitam deseruit: humatus in Aede D. Clementis, quo titulo gaudebat. Morum suauitate, & consuetudinis iucunditate clarus: de quo Ciaconius in Paulo IIII.

ANTONIVS Scarampus ex Comitibus Canellarum cum Eps Nolanus Conc. Triden. interfuisset, & subscripsisset, postmodum an. 1569. Episcopus Laudensis designatur de mense Martij. Eodem an. 7. Id. Octob. Pontificio ritu, Laudam ingressus. Post exactissimam visitationem anno 1574. Synodum celebrauit. Eodem an. Virginum S. Vrsulæ Congregationem, & sequenti 1575. Mulierum conuersarum, Clericorum Seminarij, & pauperum Orphanorum Collegia instituit. Varijs Legationibus pro Sede

Aposto-

Apostolicæ apud Imp. & Reges egregiè perfunctus, migrauit in cœlum an. 1576. 3. Cal. Aug. ætatis suæ 60. paulo post quam Prouin. Conc. 4. subscripserat. sepultus in Cathedrali, in cuius funere S. Carolus Card. Borromeus orationem ad populum Laudensem habuit. Ex Gabiano, Palleario, & alijs. De eo Carolus à Basilica Petri, & Glussianus in Vita S. Caroli. Nec non Hippolitus Donesmundus in Hist. Ecclesiastica Mantuæ. Clementiss. præ ceteris habitus, atq; in summa grauitate iucundissimus.

HIERONYMVS Federicius è Triuilio antea Episcopus Sagonen. deinde Martoranen. & postea Lauden. an. 1576. creatus. Laudā an. sequenti 17. Cal. Ian. magna celebritate ingreditur. Vir forensium rerum peritia, libertatis Ecclesiasticæ defensione, Vrbis Regimine, Aemiliæ Præfectura, varijsq; Legationibus præclarè gestis insignis. Ex oratione in eius aduentu habita. Conc. Prouin. V. interfuit an. 1579. quo postmodum è vita cessit 8. Id. Decemb. Sepultus in Cath. in cuius funere Hieronymus Ragazonus Eps Bergomen. iusta persoluens, funebrem habuit concionem.

LVDOVICVS Taberna Mediolanen. post multarum Ciuitatum, Ecclesiasticę ditionis regimina, cum Vrbem quoq; gubernasset, Apostolicæ Cameræ postea Thesaurarius, inde Lauden. Eps electus an. 1579. XIV. Cal. Ian. sequenti anno IV. Id. Martij consecratus fuit. Cathedralem vetustate collabentem, contribuente Ciuitate, restituit. Aedes Epales magnificentius extruxit. Ecclesiam supellectili copiosa cumulauit. Nouos Ministrorum ordines instituit, eorumq; ac Canonicales distributiones, pensione annua mille aureorum à Sede Apostolica obtenta, adauxit. Quaterna Visitatione, & Diœcesana Synodo an. 1591. habita, res Ecclesiasticas constituit. Conc. quoq; Prouinc. 7: inter cæteros Decanus ipse interfuit. Nam 6. Marcus Antonius Amidanus Abbas omnium Sanctorum Cremonen. eius Vic. Generalis, & Spetialis Procurator subscripserat, cum ille diutius abesse cogeretur Hyspanica, Veneta, atq; alijs legationibus præpeditus. Demum post res innumeras

præclare

præclarè geſtas, graui ætate, & meritis onuſtus, cum ann. 37. Eccleſiæ Lauden. præfuiſſet, ad quietem concedens, eius dimiſſionem obtinuit, menſe Maio 1616. Mediolaniq; poſtmodum annū tantum in vita commoratus 3. Non. Iun. 1617. octuagenario maior naturæ ſatisfecit, maiorumq; ſepulchro in Eccleſia Paſſioni Chriſti D. dicata infertur. Magnæ uir auctoritatis, magneq; prudentiæ. Eius exequias Ferdinādus Taberna Card. S. Euſebij Eps Nouarien. ex fratre nepos, ſumma pietate, ac religione abſoluit.

FR. MICHAEL ANGELVS Seghitius, qui nunc ſedet, Laudæ anno 1565. natus eſt. Maximus in ſacro Baptiſmatis fonte vocatus Io. Baptiſtæ Seghitij patris aſſidua cura humanioribus litteris eruditus. Annum xiv. agens Ord. Prædicatorum inſtitutū ſuſcepit: vbi Adeodato Gentili in primis Doctore, Philoſophiæ, ac Theologiæ operam dedit. Lector Bononiæ pronunciatus, in interpretandi, & concionandi munere per aliquot annos verſatus eſt, & ab eodem Adeodato Med. Inquiſitore Vic. S. Officij Laudæ conſtituitur, donec ſocius Romæ in eiuſdem S. Officij Cōmiſſariatu eidē traditus fuit. An. 1603. à Hieron. Xauierre Ord. Præd. Generali Magiſtro in ſacra Theol. Magiſter declaratus, Inquiſitioni Cremonæ, Clemente 8. deinde Med. vniuerſæq; eius ditionis, ac Prouinciæ, Paulo V. præficitur; à quo Romam vocatus Cōmiſſarius generalis eſt renunciatus. Electus Eps Lauden. xiv. Cal. Iun. 1616. Conſecratus ē Romę in Baſilica S. Mariæ Maioris à Iohan. Garzia Card. Millino vj. Cal. Iulii; aſſiſtentibus Vulpiano Vulpio, alias Archiepo Theatino, & Alexandro Guidiciono Epo Lucēſi. Laudā ſolēni celebritate ingreſſus eſt Dominica die xii. Cal. Decēb. cuius menſis octauo die, feſto Concep. B. V. M. primā Pontificio ritu miſſam celebrauit, in qua concionē habuit plenariāq; Indulgen. à S. P. impetratā frequentiſſimo populo impertiuit. Die 23. Ian. 1617. viſitationis generalis initiū ſumpſit. Frm Capucinorū Eccleſiā oppidi S. Angeli, ad honorē D. Franciſci cōſecrauit iij. Id. Sept. eiuſdē an. Sequēti vero, Non. Aug. primū lapidē Eccl. S. Io. ad Vineas Laudæ ſolēni ritu in fundamēto poſuit. Diœceſi luſtrata, Synodū habuit,

DESCRIPTIO

TOTIVS STATVS S. LAVDENSIS ECCLESIAE

Tempore Synodi Diœceſ. celebratæ anno 1619.

AD LECTOREM.

VBI non eſt certus, & perpetuus ordo; maximè inter paria, ille ordo ſeruatus eſt, qui dignitati ſanctorum congruit; à quibus denominationes rerum, ſeu locorum deſumptæ ſunt, abſq; præiudicio iurium quorumcunque.

IN VRBE.

ECcleſia Cathedralis ſub titulo Aſſump. B.V. & S. Baſſiani habet quattuor Dignitates, & tredecim Canonicatus.

Præpoſituram ad titulum Natiuitatis B.V.

Archidiaconatum ad tit. S. Pauli.

Cantoriam ad tit. S. Petri.

Archipresbyteratum ad tit. S. Agnetis, cui annexa eſt Cura animarum tituli eiuſdem.

Canonicatum ad tit. S. Io. Baptiſtæ.

Canonicatum ad tit. S. Iacobi Maioris.

Canonicatum ad tit. S. Io. Euangeliſtę, cui annexa eſt cura animarum ſub tit. S. Aegidij.

Canonicatum ad tit. S. Iacobi minoris.

Canonicatum ad tit. S. Bartholomæi.

Canonicatum ad tit. S. Matthiæ.

Canonicatum ad tit. S. Barnabæ.

Canonicatum ad tit. S. Stephani Protom.

Canonicatum ad tit. S. Laurentij.

Canonicatum ad tit. S. Chriſtophori.

Canonicatum ad tit. S. Martini Epiſcopi.

Canonicatum ad tit. S. Antonij Abb. cui annexa eſt Pœnitentiaria.

Canonicatum ad tit. S. Franciſci, cui annexa eſt Theologalis Præbenda.

Habet præterea Rectoriam ſine animarum cura tit. SS. Mauri, & Martini tranſl. ab eorum Eccleſia penè diruta.

Capellanias quattuor cum residentia in choro, nimirum.

Tit. S. Mariæ de Niata, quæ dicitur Iusp. Bononorum.
Tit. S. Mariæ, quæ dicitur Iusp. Tabernarum.
Tit. S. Bassiani, quæ dicitur eorundem.
Tit. S. Ludouici, quæ eorundem.

Capellanias alias sine residentia scilicet.

Sanctissimæ Trinitatis.
B. V. Annuntiatæ, quæ vnita est Sacristiæ Cathedralis.
S. Mariæ sub scala.
S. Mariæ maioris.
S. Mariæ ad Niues.
S. Io. Baptistæ.
Conuersionis S. Pauli.
S. Io. Euangelistæ.
SS. Iacobi & Philippi.
S. Thomæ Apostoli.
S. Stephani Prot.
S. Georgij.
S. Secundi.
S. Ambrosij, quæ est Ducalis.
S. Augustini.
S. Bassiani.
Item S. Bassiani, quæ vnita est Canonicatui tit. S. Io. Euangelistæ in Cathed.
S. Iuliani.
S. Antonij.
S. Bernardi.
SS. Galli & Columbani.
S. Rocchi.
S. Marthæ.
S. Catharinæ.

Habet etiam Clericatum tit. S. Agnetis.
Magistrum Cæremoniarum.
Vicecantorem.
Coadiutorem in cura animarum.
Mansionarios decem.
Sacristas tres: totidem Custodes.

Clericos

Clericos Seminarij viginti quattuor, & octo alios Clericos.
In Parochia dictæ Ecclesiæ Cathedralis adsunt Ecclesiæ.

S. Mariæ de Pace sub regimine duodecim Laicorum amouib. vbi Missæ quotidianæ tres, ex obligatione celebrantur.
S. Iuliani, quæ habet Rectoriam diuisam in duas portiones cũ duabus Missis quotid. & dicitur Iusp. Coradorum, Cadamustorum, Boconorũ, & Villanouæ.

Missæ quotidie in Cathed. ex obligatione celebrantur nu. 28.
Aliæ vero Missæ per annum ex obligatione nu. 2159.
Confessarij approbati pręter Pœnitẽtiarium, & Curatos nu. 6
Animæ Communionis vtriusq; Parochiæ 1187.
Reliquæ non Communionis 833.

2020.

Ecclesia S. Laurentij Collegiata insignis habet Pręposituram cum cura animarum, & sex Canonicatus cum titulis, & residentia.

Præposituram ad tit. S. Laurentij.
Canonicatum ad tit. S. Clementis Papæ, & mar.
Canonicatum ad tit. S. Antonij Abb.
Canonicatum ad tit. S. Bernardi Abb.
Canonicatum ad tit. S. Francisci.
Canonicatum ad tit. S. Luciæ.
Canonicatum ad tit. S. Eugeniæ.
Capellanias tres .i. Purific. B.V. Appar. S. Mic. Arch. S. Luciæ.
Mansionarios habet tres; Coadiutorem in cura animarum; Sacristam, seu Custodem.
Missas quotidianas nu. 12
Alias per annum nu. 964.
Confessarios approbatos præter Præpositum nu. 3.
Animas Communionis nu. 720.
Non Communionis nu. 351.

1071.

Ecclesia Parochialis Præposituralis S. Saluatoris, cui vnita est dimidia pars Rectoriæ S. Leonardi, habet Præpositum, & duos Canonicos sine residentia.

Rectoriam item SS. Cosmæ, & Damiani ab eorum Ecclesia huc translatam.

Capellaniã quoq; S. Mariæ, & SS. Hilarionis & Iacobi intercisi.

In eadem Parochia extant Ecclesiæ

S. Andreæ, quæ est Rectoria sine cura diuisa in duas portiones, & dicitur Iusp. Bononorum: vbi 12. Missæ quotannis ex obligatione celeb.
S. Matthæi, quæ est Hospitalis maioris.
SS Cosmæ & Damiani, cuius Rectoria translata est, vts.

Missæ per annum ex obligatione nu. 133. in dicta Parochiali præter Parochialem.

Animæ communionis nu. 190.

Non communionis nu. 272.

Ecclesia Parochialis Præposituralis S. Michaelis habet Præpositum, & duos Canonicos sine residentia.

In eadem Parochia adest Ecclesia S Thomæ, in qua est Capellania tit. S. Gotardi hùc translata ab Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, vnde quotidiè semel celebratur ibidẽ, & dicitur Iusp. Veggiorũ, semel item in anno ibidẽ à Cõsortio celebr.

Missæ quotidianæ in dicta Parochiali nu. 1.

Aliæ per annum nu. 447. præter Parochialem.

Animæ communionis nu. 337.

Non. communionis nu. 144.

Ecclesia Parochialis Præposituralis SS. Naboris & Felicis habet Præpositum, & duos Canonicos sine residentia.

In eadem Parochia adest Ecclesia SS. Geruasij, & Prothasij, cum Rectore sine cura animarum, vbi quotidie semel celebrari debet, & præterea bis in hebdomada.

Missa quotidiana in dicta Parochiali nu. 1.

Missæ aliæ per annum 345. præter Parochialem.

Animæ communionis nu. 447. Non communionis nu. 175.

Ecclesia

ECclesia Parochialis Præpositúralis S. Geminiani habet Præpositum,& duos Canonicos sine residentia.

Capellaniam tit. SS. Crucis & Ceciliæ.

In eadem Parochia adest Ecclesia S. Marci cum Prioratu, & obligatione duarum Missarum quotidianarum.

Missæ in dicta Parochiali ex obligatione per annum nu. 34. præter Parochialem.

Confessarij approbati præter Præpositum nu. 2.

Animæ communionis nu. 477.

Non communionis nu. 217.

ECclesia Parochialis Præpositúralis S. Mariæ Magdalenæ habet Præpositum,& tres Canonicos sine residentia. &

Capellaniam tit. S. Guniforti,&

Aliam S. Rocchi.

Missas quotidianas nu. 2.

Alias per annum præter Parochialem 504.

Confessarios præter Præpositum nu. 2.

Animas communionis nu. 1086.

Non communionis nu. 640.

ECclesia Parochialis S. Iacobi, habet Rectorem cum animarum cura, cui vnita est Rectoria S. Christophori, & habet Clericatum.

Missas per annum ex obligatione nu. 343. præter Parochiale.

Confessarios præter Curatum num. 2.

Animas communionis nu. 805.

Non communionis nu. 559.

ECclesia Parochialis S. Blasij habet Rectorem, cui vnita est dimidia pars Rectoriæ S. Leonardi, &

Capellaniam tit. S. Pauli primi Eremitæ, quæ dicitur Iuspatronatus Consortij, & aliorum.

Missam quotidianam nu. 1.

Missas per annum 169. præter Parochialem.
Animas communionis nu. 375.
Non communionis nu. 164.

ECclesia Parochialis SS. Viti & Modesti, habet Rectorem cum animarum cura, &
Clericatum vnitum Seminario Laudensi.
In eadem Parochia adest Ecclesia Sanctissimę Trinitatis cum duobus Rectoribus sine animarum cura, quæ dicitur Iusp. de Gaiardis, & aliorum.
Ecclesia SS. Mauri, & Martini, quæ dicitur Iuspatronatus de Casetis, & Braccorum.
Missæ per annum in Parochiali nu. 325. pręter Parochialem.
Confessarius vnus præter Curatum.
Animæ communionis nu. 380.
Non communionis nu. 200.

ECclesia Parochialis S. Nicolai, habet Rectorem, cum animarum cura.
In eadem Parochia adest Ecclesia S. Martini cum duobus Rectoribus, & obligatione duarum missarum quotidianarum, & duobus Clericis titularibus, qui dicuntur de Iurepatronatus Tressenorum, vbi etiam habetur
Communantia erecta in titulum benefitij, cum alijs Missis 12. Consortij.
Ibidem Rectoria sine cura titt. S. Matthiæ, S. Georgij, & S. Martini, quæ dicitur Iusp. diuersorum.
Missæ per annum nu. 105. in Parochiali, præter Parochialem.
Animæ communionis nu. 140.
Non communionis nu. 57.

Ecclesia

ECclesia Parochialis S. Romani, habet Vicerectorem Canonicum Regularem,& Capellaniam tit. S.Mariæ Magdalenæ, seu S. Leonardi, ab Ecclesia S. Bartholomei huc translatam.

Animas communionis nu. 199.
Non communionis nu. 97.

Parochiæ Suburbanæ.

ECclesia Parochialis S. Bartholomæi habet Vicerectorem Canonicum Regul. Lateranensem.

Animas communionis nu, 283.
Non communionis nu. 216.

ECclesia Parochialis S. Blasij, habet Vicerectorem ex Monachis Montis Oliueti, cum Coadiutore eiusdem Ordinis.

Animas communionis nu. 800.
Non communionis nu, 400.

ECclesia Parochialis S. Bassiani habet Abbatem cum multo reddditu,& Vicarium perpetuum.

Missas per annum præter Paroch. nu. 5. ex legato.
Animas Communionis nu. 707.
Non communionis nu. 308.

ECclesia Parochialis SS, Gualterij, Iacobi, & Philippi, habet Vicecuratum amouibilem ad nutum Deputatorum Hospitalis Laudensis.

Animas communionis nu. 590.
Non communionis nu. 308.

Ecclesia

ECclesia S. Mariæ Incoronatæ habet quasi Collegium nouem Sacerdotum, & aliorum Ministrorum sub regimine Laicorum sexdecim amouibilium.
Missas quotidianas nu. 16.
Missas per annum nu. 1924.

Ecclesiæ Clericorum Regularium.

ECclesia S. Mariæ ad Populum cum Collegio Clericorum Regularium de Somasca habet Sacerdotes quattuor, Confessarios tres, & tres Ministros.
Ecclesia SS. Apostolorum Ioannis, & Pauli ad Vineas cum Collegio Clericorum Regul. S. Pauli, habet Præposituram sæcularem satis pinguem, Sacerdotes quinq; qui omnes Confessarij sunt, & præterea duos Ministros. Lectorem quoq; publicum Casuum conscientiæ, & Concionatorem per annum.

Ecclesiæ aliorum Regularium.

ECclesia S. Mariæ Acuariæ, seu in Burgo Canonicorum Regul. S. Georgij in Alga habet sex Sacerdotes, Confessarios duos, & Ministrum vnum.
Ecclesia S. Romani Canonicorum Regul. Lateranensium habet Sacerdotes quinq;, præter Vicerectorẽ, & Minist. 3.
Ecclesia S. Christophori Monacorum Montis Olìueti habet septem Sacerdotes, Confessarios duos, & Ministros tres.
Ecclesia S. Dominici habet Sacerdotes quattuordecim, Confessarios septẽ, Nouitios quinq; Conuersos quinq; & Concionatorem per annum.
Ecclesia S. Agnetis Congregationis Lombardæ Heremitarum S. Augustini habet Sacerdotes nouem, Confessarios quattuor, & tres Conuersos cum Clerico.
Ecclesia S. Mariæ Annunciatæ Carmelitanorum habet Sacerdotes sex, Confessarios duos, Clericum vnũ, Conuersos tres.

Ecclesia

Ecclesia S. Francisci Minorum de Obseruantia habet Sacerdotes decem, & nouem, Confessarios sex, Clericos quattuor, Conuersos septem.

Ecclesia S. Francisci Minorum Conuentualium, vulgo Zardini, habet Sacerdotes sex, Confessarios tres, Clericum vnum, & Conuersos duos.

Ecclesia S. Io. Baptistæ Fratrum Capucinorum habet Sacerdotes decem, Clericos duos, Conuersos octo.

Ecclesia S. Petri Iesuatorum habet Sacerdotes quattuor, & Conuersos tres.

Ecclesia S. Antonij Tertiariorum S. Francisci, quæ dicitur Iuspatronatus Riccardorum, habet Sacerdotes sex, & Confessarium vnum, Conuersos duos.

Ecclesia S. Mariæ de Modio, siue ad Fontes, Fratrum Seruorum S. Mariæ habet Sacerdotes tres, Confessarium vnum, Clericos duos, & Conuersos tres.

Ecclesiæ Monialium.

Ecclesia S. Io. Baptistæ Ordinis S. Benedicti habet Moniales nu. 59. Confessarium proprium, & duas Missas quotidie, ex pietate.

Ecclesia S. Vincentij Ordinis S. Benedicti habet Moniales nu. 32. Confessarium proprium, & Missas ex obligatione per annum 104. sed supplent ad quotidianam ex pietate.

Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani Ordinis S. Benedicti habet Moniales 21. Confessarium communem alijs, & Missam quotidianam ex pietate earundem.

Ecclesia S. Benedicti Ordinis Humiliatorum habet Moniales 40. & confessarium proprium.

Missam quotidianam ex pietate.

Missas per annum ex obligatione 92. sed supplent ad aliam quotidianam.

Ecclesia S. Leonardi Mulierum Pœnitentium habet Moniales 38. & Confessarium proprium.

Missam quotidianam vnam ex legato.

Missas alias per annum ex obligatione 185.

Ecclesia

Ecclesia S. Marthæ Ordinis S. Benedicti habet Moniales 28. & Confessarium communem alijs. Missam quotidianam ex legato. Missas per annum ex obligatione 84.

Ecclesia S. Margaritæ Capucinarum habet Moniales 26. & Confessarium communem alijs.
Missam quotidianam ex legato: & alteram ex pietate.

Ecclesia S. Claræ Veteris Conuentualium S. Francisci habet Moniales 52. & Confessarium communem alijs.
Missas quotidianas duas ex legatis.
Missas per annum ex obligatione 52.

Ecclesia S. Claræ Nouæ obseruantium S. Francisci habet Moniales 55. & Confessarium Regularem communem alijs.
Missam quotidianam ex legato, & alteram ex pietate.

Confratriæ Laicorum.

ORatorium S. Crucis Disciplinatorum cum habitu nigro habet Missam quotidianam, & Confessarium proprium sæcularem.

Oratorium S. Defendentij habet obligationem Missarum 243. quolibet anno, induunt autem Confratres habitum album, & habent Missam quotidianam vnam, cum proprio Confessario.

Oratorium S. Marthæ Disciplinatorum cum habitu viridi habet duas Missas quotidianas, & alias 20. per annum.

Oratorium Sanctissimę Trinitatis Confratrum, habitus rubei, habet Missas quotidianas sex, & Confessarium sæcularem proprium.

Oratorium S. Mariæ Solis Confratrum, habitus cærulei, habet Missam quotidianam, & alias Missas per annum nu. 140. & Confessarium proprium.

Oratorium Sanctissimæ Trinitatis, seu S. Mauritij sociorum cælibum sine habitu.

Oratorium S. Pauli, sub regimine duodecim sine habitu, habet Missam quotidianam, & Missas 95. per annum,

Alia

Alia Oratoria Vrbis.

ORatorium S. Mariæ Blanchæ, ad S. Iacobum.

Oratorium B.V. Assumptæ in Arce Laudensi, vbi quotidie celebratur.

Oratorium S. Io. Baptistæ in Boldone sub Commendatario Relig. S. Io. Hierosol. vbi ter in Hebd. celebratur.

Oratorium S. Stephani, quod dicitur Modignanorum, vbi quater in Hebd, celebran.

Oratoria Suburbana.

S. Saluatoris in Vigadò.

S. Mariæ Angelorum, vbi Fr. Carmelitanus Confessarius cum Conuerso.

S. Mariæ Rioli vltra Abduam.

S. Mariæ Gratiarum, vbi quotidie celebrantur duæ Missæ.

S. Iacobi.

SS. Simonis, & Iudæ ad Mutiam S. Angeli, vbi ex obligatione quotannis celebrantur missæ 52.

S. Bernardi extra Portam Cremonensem.

S. Rocchi extra Portam Regalem.

S. Rocchi extra Portam Cremonensem.

Eiusdem S. ad Abduam sub regimine sexdecim Laicorum vita durante, administrantium, vbi quotidie celebratur.

Eiusdem S. Rocchi, Paderni.

S. Grati, vbi missa quotidiana celebratur.

S. Christintiani.

S. Fereoli.

S. Margaritæ extra Portam Cremonensem.

S. Eugeniæ.

Loca Pia.

MOns Pietatis administratur apud Ecclesiam S. Mariæ Coronatæ à Deputatis eiusdem Ecclesiæ.

Hoſpitale Maius à Spiritu Sancto nuncupatum ſub regimine Laicorum 17. mutabilium, habet Confeſſarium proprium.

Miſſas quotidianas duas.

Animas Communionis nu. 26.

Non Communionis nu. 15.

Hoſpitale Sanctiſſimæ Trinitatis Peregrinorum ſub regimine Confratriæ Oratorij eiuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis.

Hoſpitale S. Crucis, quod ab eiuſdem Confratria adminiſtratur.

Hoſpitale vagantium pauperum ſub regimine Hoſpitalis Maioris, apud S. Iacobum.

Hoſpitale S. Stephani habet Adminiſtratorem perpetuum, nempe ſeniorem familiæ Modignanorum.

Hoſpitale mulierum S. Defendentij ab eiuſdem Confratria gubernatur.

Hoſpitale S. Marthæ, ſub Adminiſtratione Confratriæ eiuſdem.

Domus ſanctimonialium S. Vrſulæ, in qua habitant nu. 15.

Domus Orphanorum habet pueros 23. præter Rectorem, & Miniſtrum apud Eccleſiam S. Andreæ.

Scholæ variæ.

IN Eccleſia Cathedrali habetur Conſortium Cleri Laudenſis, cui præſunt duodecim de Clero quotannis eligendi.

Ibidem Schola Sanctiſſimi Sacramenti, quæ deſeruit omnibus Parochijs Ciuitatis, quam adminiſtrant duodecim Laici quotannis mutandi.

Schola S. Mariæ ſub ſcala à ſex Laicis vita durante adminiſtrata.

Schola Sanctiſſimæ Pietatis à ſex Laicis eodem modo.

Schola S. Baſſiani eodem modo à Laicis quindecim.

Schola S. Boui, eodem modo à Laicis ſex.

In

In alijs Ecclesijs habentur hæ Scholæ

Nominis Iesu in Ecclesia S. Dominici, &

Schola Rosarij in eadem Ecclesia.

Scholæ quinq; Conceptionis B. V. nimirum:

In Ecclesia S. Laurentij à Laicis sexdecim vita durante administrata.

In Ecclesia S. Geminiani à duodecim Laicis eodem modo.

In Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ à Laicis similibus duodecim,

In Ecclesia S. Francisci Conuentualium, &

In Ecclesia S. Francisci Obseruantium.

Schola Natiuit. B.V. in Ecclesia S. Michaelis à 12. Laicis, vita durante, administrata.

Schola Centuriatorum S. Augustini in Ecclesia S. Agnetis.

Schola habitus Carmelitani in Ecclesia B. V. Annunciatæ.

Schola Cordigerorum in Ecclesia Zardini.

Communantiæ, hoc est, Collectæ quædam pro reparatione Ecclesiarum, & alijs rebus necessarijs ad sacrificium missæ, habentur in Ecclesijs Parochialibus S. Saluatoris, S. Michaelis, S. Blasij intra vrbem, S. Nicolai, S. Geminiani, & S. Mariæ Magdalenæ, in qua fuit vnita Scholæ Conceptionis, & demum in Ecclesia Confratrum S. Marthæ.

